



Lh9
646



DE ZEVGMATIS QVOD DICITVR VSV HORATIANO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVALTERVS SIEVERS
SARGSTEDIENSIS



IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Unterzeichneten.

JENA, den 24. Juli 1906.

Dr. **G. Goetz**,
d. Zt. Dekan.

MATRI·OPTIMAE

SACRVM

§ 1. Praefatio.

In Horatii carminibus legendis si quis L. Muelleri et Kiesslingii commentariis utitur, haud ita raro zeugmatis quod dicitur figuram ad explicationem adscitam esse inveniet. Praecipue Kiesslingius in adnotationibus quibus c. I 1, 19 et c. I 36, 6 illustravit uberius de zeugmate disputans omnium quae apud Horatium occurrunt formarum specimen dedit, qua in re consentire cum ea ratione materiae disponendae videtur quam Willmannus (de figuris grammaticis ed. Berol. a. 1862 p. 49 sq.) olim proposuit; nam uterque zeugma agnoscit tunc, cum verbum aliquod ad duas enuntiati partes referendum est, quarum ad alteram quadrat, cum altera autem apte coniungi non potest; quamobrem e verbo posito elici volunt ac suppleri idoneum verbum, quod structurae quasi deesse videtur. Quas zeugmatis formas Willmannus et Kiesslingius exstare voluerint, paucis exponere liceat: id quod aptissime ita fieri putaverim, ut ipsius Willmanni verbis utar, qui l. l. p. 49 ita disputat: 'duo autem huius figurae genera extant, prout membrum commune posteriori (postremae) vel priori (primae) notioni est copulatum. I. Prioris generis exemplum sit: *Germanicus quod arduum sibi, cetera legatis permisit.* Sunt autem tales formationes sic fere explicandae. Membro priore proferendo loquentis animo verbum generali sensu (*dedit* vel sim.) ad utramque partem quadrans obversatur, qua de causa verbum huic membro proprium (*sumpsit*) omittit; nec tamen profertur generalis illa notio, sed membrum posterius pro sua natura eam conformans, speciem pro genere asciscit (*permisit*). Est igitur apud prius membrum notio specialis quaedam a generali cogitata quasi oppressa neque, si figuram enodare vis, notio generalis supplenda est, ut vulgo perperam contendunt, sed specialis, quam illa expulit ... II. Alterum genus continet structuras per zeugma continuatas: *ἐσθῆτα δὲ φορέουσι τῇ Σκυθικῇ ὁμοίην, γλῶσσαν δὲ ἰδίην* (Herod. 4, 106). *Audis, quo strepitu* ...

Hor. c. III 10, 5. Annectuntur in his exemplis membra verbo regenti, quae, si accurate rem inspicias, non nisi verbo quodam generali notione annecti possunt. In primo igitur zeugmatis genere is qui loquitur generalem notionem secuturam exspectat, in altero antecessisse eam putans membra parum adaptata annectit. Ceterum hic usus etiam ad notiones oppositas (contrarias) transfertur, ita ut ex antecedente aliqua notione contrarium sit eliciendum. *Stoici negant bonum quidquam esse nisi honestum, virtutem autem nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem* (sc. *contendunt*). Multo rariora ea sunt exempla, ubi membrum commune notione ad priorem, positione ad posteriorem pertinet partem: *cibos et hortamina gestare* (Tac. Germ. 6), *vix risum, vix somnum tenere* (Dial. 21)'.

Hanc explicandi rationem, de qua infra uberius agetur, quamquam plerique interpretes in eo probant, ut zeugmatis figuram adhiberi patiantur atque ipsi quoque interdum usurpent, tamen non desunt, qui illam figuram vehementer reprehendant et repudient, alienam putantes a poetae genere dicendi, velut Nauckius (cf. ad Hor. c. I 4, 16; II 1, 23; III 10, 7), qui nihilominus interdum ratione explicandi utitur, quae a zeugmate nihil differt (cf. ad c. II 11, 3). Qua dissensione motus cum diligentius in eam quaestionem inquirerem, totiens Horatium illa figura usum esse animadverti, ut, si omnia eiusmodi exempla colligerentur et inter se compararentur, lux quaedam rei afferri posse mihi videretur. Itaque accuratius zeugmatis usum Horatianum perscrutari mihi proposui, non quo omnino novas res prolaturus sim, sed ut ea, quae in commentariis virorum doctorum de zeugmate observata sint, undique dispersa colligam, disponam, illustrem. Quo facto si continget ut hic illic ad interpretationem eiusmodi locorum promovendam et confirmandam aliquid conferam, satis dignum impenso huic disputatiunculae labore pretium esse putabo.

Sed priusquam ad rem ipsam aggredimur, paucis munienda est via. Etenim de zeugmatis figurae natura ac ratione a viris doctis et veteris et huius aetatis modo paucis, modo fusius actum est in libris ad artem grammaticam aut rhetoricam spectantibus commentariisque qui ad eiusmodi libros pertinent; respiciantur enim oportet in hac quaestione tractanda et grammaticorum et rhetorum praecepta de zeugmate adhibendo, quoniam quem usque ad finem utriusque disciplinae provincia pertineat

discernere difficilius est. Quos libros si inspiciemus, discrepantiam intercedere non mediocrem videbimus ut inter ipsa auctorum veterum ita inter antiqui et huius aevi praecepta; atque haud ita raro etiam his diebus inter se confundi ea, quae notionibus zeugmatis, syllepseos, figurae *ἀπὸ κοινοῦ* significantur, O. Akenius monuit (de figurae *ἀπὸ κοινοῦ* usu apud Catullum, Tibullum, Propertium, in progr. Suerin. a. 1884). Qua rerum et nominum fluctuatione ne huius libelli ratio turbetur, in illam discrepantiam inquirere oportet. Quam disputationem ita instituam, ut primum quidem de zeugmatis notione agam, quam vim antea habuerit, quam habeat nunc, quo modo differat a similium figurarum (*ἀπὸ κοινοῦ* et syllepseos) natura ac ratione; his vero absolutis singula zeugmatum exempla apud Horatium reperta idoneo ordine percenseam; denique paucis comprehendam, quomodo et quo consilio poeta hac figura usus sit.

§ 2. **Veterum de zeugmate doctrina.**

Quamquam multi viri docti de zeugmate verba fecerunt, nondum tamen omnia quae huc spectant exsecuti esse videntur, quantumvis accurate ac diligenter zeugmatis definitionem et provinciam tractaverint. Neque enim quisquam ullam rem iudicari potest ad finem perduxisse, nisi per omnia, quantum fieri potest, temporum spatia persecutus eas, quae temporum decursu venerunt in usum, ex usu abiere, formas et partes rei propositae cognovit et ostendit, quoniam alio modo omnes quaestionis subtilitates perspici non possunt. Propterea ita de zeugmate agere visum est, ut observato temporum ordine primum exponatur veterum auctorum de eo doctrina. Atque aptissime hac in quaestione tractanda proficiscendum est a Graecorum testimoniis, quippe qui in arte grammatica et rhetorica Romanos discipulos habuerint. Liceat afferre testimonia potiora. Alex. *περὶ σχημάτων* (apud Spengel. Rhet. Graec. vol. III p. 35): *Περὶ Ζεύγματος· Ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος ποτὲ μὲν καθ' ἕκαστον κῶλον ἐπιλεγόμενον τὸ οἰκεῖον ἑκάστῳ, ὡς ἔχει τὸ Ἰσοκρατικόν*[1]*· ʽπολλάκις ἐθαύμασα τῶν*

1) Initio Panegyr.

τὰς πανηγύρεις συναγόντων καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων', ποτὲ δὲ θέντες τὰ κῶλα· καὶ πάλιν, ὡς ἔχει τὸ τοιοῦτον· 'Ἀλέξανδρος ἐνίκησε μαχομένους ἐπὶ μὲν Γρανικῷ τοὺς ἑπτὰ σατράπας, ἐν Ἰσσῷ δὲ Δαρεῖον, ἐν Ἀρβήλοις δὲ συναχθέντας ὁμοῦ πάντας.' δύνανται δὲ, καὶ τὰ συνάγοντα κῶλα καὶ μέσον αὐτῶν τεθῆναί ποτε· πόθεν δ' ἂν ἡ τοιαύτη γένοιτο σύνταξις, δῆλον ἐκ τῶν προειρημένων. — Similiter zeugma definitur a Zonaeo (apud Spengel. vol. III p. 168): Ζεῦγμά ἐστιν, ὅταν διάφορα κῶλα μία συνδῇ λέξις, ἢ μετ' αὐτὰ τεθεῖσα, ἢ πρὸ αὐτῶν, οἷον 'τῶν μὲν τὸν λόγον, τῶν δὲ τὴν πρᾶξιν, τῶν δὲ τὸ πρᾷον, τῶν δὲ τὸ ἥσυχον, τῶν δὲ τοὺς κινδύνους, τῶν δὲ τὰ πλείω, τῶν δὲ τὰ πάντα μιμησάμενος.' τὸ γὰρ 'μιμησάμενος' ζεύγνυσι τὰ κῶλα. Cum his verbis cetera praecepta [1]) consentiunt. Apud Graecos igitur zeugma idem valuisse putandum est, quod nunc figurae ἀπὸ κοινοῦ ascribitur. Unde ad Romanos si nos convertimus, facile rem ipsam neutiquam mutatam una cum nomine a Graecis sumptam esse cognoscemus. Conferas quaeso grammaticorum verba horum: Charisii (apud Keil. Gramm. lat. vol. I p. 280): *zeugma est verbum quod in duplici multiplicive sententia aptatur, sed quod omnibus communiter redditur, ut*

Troiugena interpres divum, qui numina Phoebi
Qui tripodas, Clari laurus, qui sidera sentis.

Verbum enim sentis singulis quibusque debetur. aliis ita placuit zeugma definire: 'nihil hominum te fortunae, nihil commiserescit meae? finge advenam esse: nihil fraterni nominis sollemne auxilium et nomen pietatis movet?' plures sententiae uno verbo cluduntur. — Donatus et Diomedes eandem fere definitionem proponunt (*zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta*), hic apud Keil. I p. 444, ille IV p. 397; nisi quod Diomedes paulo accuratius triplicem formam positioni verbi respondentem dignosci vult: cum verbum praeponitur, cum in medio sensuum loco positum reperitur (*mesozeugma*), cum uno verbo plures sensus concluduntur (*hypozeugma*). — Ceteros grammaticos et rhetores ab horum verbis non recedentes ut neglegam, hoc modo memorabo a Iulio Rufiniano (apud Halmium rhet. Lat. min. p. 48) zeugma vocibus quae sunt *ligatio* et *adnexio* explicari, in carmine de figuris (apud eundem

1) Cf. apud Spengel. vol. III p. 172; p. 185.

p. 69) Latine verti *nexum;* praeterea occurrunt nomina *coniunctio* (auct. ad Her. IV 27, 38; cf. Beda apud Halm. p. 608) et *adiunctio* (Priscian. GR. L. III 183) et *ὑπεζευγμένον*, *iniunctum* (Aquila Rom. apud Halm. p. 36). — Usitatam illam zeugmatis explicationem Quintilianus quoque, qui illam figuram *ἐπεζευγμένον* [1]) appellat, l. IX 3, 62—64 protulit, quamquam quodammodo coartari voluit definitionem; is enim l. l. haec fere: *tertia,* inquit, (scil. *figura per detractionem oriens*) *quae dicitur ἐπεζευγμένον, in qua unum ad verbum plures sententiae referuntur, quarum unaquaeque desideraret illud, si sola poneretur. id accidit aut praeposito verbo, ad quod reliqua respiciant: 'vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia', aut inlato, quo plura cluduntur: 'neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocaverit.' medium quoque potest esse, quod et prioribus et sequentibus sufficiat: iungit autem et diversos sexus, ut cum marem feminamque 'filios' dicimus, et singularia pluralibus miscet. sed haec adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum adserere non possint. illud plane figura est, quo diversa sermonis forma coniungitur:*

sociis tunc arma capessant
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Quamvis enim pars 'bello' posterior participio insistat, utrique convenit illud 'edico.'

Quae omnia testimonia si respicimus, ut apud Graecos, ita apud Romanos zeugmatis nomine eas constructiones significatas esse profitebimur, in quibus ad unum idemque verbum semel positum plura cola referenda erant sine ipsius verbi commutatione. Etenim quod Quintilianus ita definitionem zeugmatis coartari voluit, ut de illa figura non diceretur, nisi diversa sermonis forma uno verbo concluderetur, solus, quantum cognosci potest, eiusmodi definitionem proposuit; quae quoniam ab usitata explicatione non multum aut fere nihil differt, neutiquam de duplici zeugmatis significatione dici potest. Aliena igitur sententia Volkmanni,

---

1) Hanc notionem *ἐπεζευγμένον* iam apud Graecos adhibitam esse e verbis Anon. apud Spengel. I 437 cognoscitur: *ἀπεργάζεται δὲ συντομίαν καὶ τὸ ἐπεζευγμένον, ὅταν δύο ἢ τρισὶν ὀνόμασιν ἢ καὶ πράγμασι μίαν ἐπάγῃς λέξιν συμπληρωτικήν.*

qui (Die Rhetorik der Griechen und Römer, p. 405 sqq.) de veterum de zeugmate doctrina ita disputat: 'Die Grammatiker verstehen unter Zeugma erstens die einmalige Setzung eines Wortes (nicht bloss Zeitwortes, auf welches es allerdings bei Charis. p. 280, Diom. p. 444 und Donat. III 5 beschränkt wird; wir reden in diesem Falle von zusammengezogenen Sätzen), welches bei mehreren auf einander folgenden Kommatis oder Kolis wiederholt sein müsste, z. B. Hor. c. II 9, 1, wo die Negation des ersten Verses auch für den zweiten zu wiederholen ist, oder III 1, 5 regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Iovis, wo imperium auch zum ersten Gliede gehört. Zweitens aber die einmalige Setzung eines Verbalbegriffs, der genau genommen nur zu einem dabeistehenden Wort oder Satzteil passt, aus welchem dann für die übrigen Wörter oder Satzteile verwandte oder modifizierte Begriffe zu ergänzen sind. Für Zeugma in diesem Sinne wurde auch σύλληψις conceptio gesagt, Herod. p. 100; Anon. p. 158; Tryph. p. 202; Donat. l. l. Diomed. p. 440 (?444!); Charis. IV 6, 5 (?IV 4); Ps. Rufin. p. 48'. — Quibus verbis ut primo quidem loco zeugmatis explicandi ratio apud veteres usitata recte exponitur, ita non apte de altera quadam illius figurae definitione dicitur; nimirum sine ulla causa confunduntur zeugmatis et syllepseos figurae, inter quas quamvis similes nulla intercedebat ratio, praeterquam quod et haec et illa per detractionem ortae esse putabantur.

Sed quoniam modo syllepsin attigimus, haud absonum sit iam hoc loco breviter inquirere quaenam illius figurae zeugmati simillimae ratio fuerit. In hac quoque re disserenda quin a veterum testimoniis proficiscamur facere non possumus. Atque Graecorum e praeceptis a Volkmanno commemoratis duo liceat afferre, Herodiani περὶ σχημάτων (apud Spengel. vol. III 100): *Σύλληψις δὲ (γίνεται) ὅταν τὸ τῷ ἑτέρῳ συμβεβηκὸς κἀπὶ θατέρου λαμβάνηται, οἷον*

τὼ δὲ δύω σκάζοντε βάτην Ἄρεος θεράποντε
Τυδείδης τε μενεπτόλεμος καὶ δῖος Ὀδυσσεύς·

πιθανὸν γὰρ ἦν αὐτῶν τὸν ἕτερον σκάζειν, τὸν κατὰ τοῦ ταρσοῦ τετρωμένον, καὶ

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον·

μόνος γὰρ ὁ Βορέας ἀπὸ τῆς Θράκης ἐκπνεῖ. καὶ τὸ παρὰ Πινδάρῳ ἐπί τε τοῦ Πειρίθου καὶ τοῦ Θησέως λεγόμενον, φὰν δ' ἔμμεναι

Ζηνὸς υἱοὶ καὶ κλυτοπώλου Ποσειδάωνος. — Alterum est Anonymi περὶ σχημάτων (apud Spengel. vol. III 158): *Συλληπτικόν ἐστι τὸ σχῆμα ὅταν περί τινων δύο προσώπων τὸ διήγημα γένηται διαφερόντων κατά τι, καὶ περὶ τῶν διαφερόντων γένηται ἡ διήγησις ὡς κοινή,*

οἱ δ' ὥστε σφῆκες μέσον αἰόλοι ἠὲ μέλισσαι
οἰκία ποιήσονται ὁδῷ ἐπὶ παιπαλοέσσῃ
οὐδ' ἀπολείπουσιν κοῖλον δόμον,

ταῦτα κοινά, εἶτα

ἀλλὰ μένοντες
ἄνδρας θηρητῆρας ἀμύνονται περὶ τέκνων,

ἐπήνεγκε καὶ τοῦτο κοινόν, τὸ δὲ οὐκ ἔστιν ἀλλὰ μόνον τῶν σφηκῶν· μέλισσαι μὲν γὰρ μάχονται ὑπὲρ τοῦ μέλιτος, σφῆκες δὲ ὑπὲρ τῶν τέκνων· κοινὸν οὖν γεγονὸς ἐποίησε σχῆμα συλληπτικόν, συλλαβομένων τῶν μελισσῶν μετὰ τῶν σφηκῶν. Cetera Graecorum praecepta (cf. apud Spengel. vol. III p. 202; 211; 224; 248) ab his quae attuli non recedunt ideoque omittenda; haec Graecorum syllepseos explicatio respondet zeugmatis definitioni his diebus vigenti; quam si cum Romanorum doctrina comparabimus, dissensionem non mediocrem inveniemus; neque enim ita, ut in zeugmatis figurae explicatione, Romani vestigia Graecorum presserunt, sed plerique aliam rationem inierunt. Conferas quaeso testimonia: Charisii (apud Keil. I 281): *Synlepsis est cum singularis dictio plurali verbo concluditur, ut*

Sunt nobis mitia poma
Castaneae molles et pressi copia lactis;

vel cum pluralis dictio singulari verbo concluditur, ut 'hic illius arma, hic currus fuit.' debuit enim dicere: hic illius arma fuerunt. Diomedis (apud Keil. I 444) et Donati (apud Keil. IV 397) haec sunt: ... *Syllepsis est dissimilium (rerum et,* Diom.) *clausularum per unum verbum conglutinata conceptio* — a quibus testimoniis recedunt verba Iulii Rufiniani (apud Halm. p. 48), magis Graecorum doctrinae accommodata: *σύλληψις est, cum duabus diversisque sententiis et rebus unum datur verbum, minime utrisque conveniens, ut:*

Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon.

Laxat enim et ad Danaos referri non potest, sicut ad claustra. Haec latine dicitur conceptio. — Syllepsin igitur vel conceptionem

apud Romanos duplicem vim habuisse ex allatis exemplis apparet, cum eam quam nunc zeugmatis voce significare solemus, tum eam, quam adhuc tenet. — His absolutis iam ad Volkmanni sententiam redeamus percensendam; qui ne de syllepsi quidem adhibenda veterum praecepta recte exposuisse putandus est, quippe qui principalem illius figurae definitionem Latinam parum cognoverit et Donati, Diomedis, Charisii de syllepsi doctrinam minus recte tractaverit. Accedit quod et Graeci et Romani syllepseos et zeugmatis figuras dignoscebant alteram ab altera, neque ullum reperitur testimonium, quo nixus potuit Volkmannus contendere eam, quae nunc viget, zeugmatis significationem iam apud veteres in usu fuisse et eiusdem modi structuras modo zeugmati, modo syllepsi tum ascriptas esse. Hoc errore, opinor, implicitus est, quod zeugmatis definitionis nunc usitatae nimiam rationem habuit, minorem autem, quam oportebat, veterum doctrinae diligentiam impertivit. Quae cum ita sint, Volkmannus rei lucem attulisse non videtur, quippe qui nihil fere recte protulerit nisi quod veterum zeugmatis definitionem obiter memoravit; qua eadem de re uberius rectiusque alii viri docti occasione oblata disputaverunt, ut Dzialas (Rhetorum antiquorum de figuris doctrina, progr. Vratisl. a. 1869) et I. L. Moorius (Servius on the tropes and figures of Vergil, diss. phil. 1891 John Hopkins University, typis iterata in vol. XII actorum quae inscribuntur American Journal of Philol.), alii, praecipue autem Gerberus (Die Sprache als Kunst[2] p. 470 sqq.). Eos vero qui quaestionem minus diligenter attigerunt magis quam exhauserunt ut neglegam, huius sententiam adumbrasse satis habebo. Atque Gerberus l. s. s. de figurarum, quibus brevitas dicendi efficitur, zeugmatis, *ἀπὸ κοινοῦ*, syllepseos natura ac ratione agens strictimque percensens veterum de eis doctrinam in nominum fluctuationem inquirit, a quibus auctoribus singulae notiones adhibitae sint ostendit. Tum eisdem fere, quae supra allata sunt, testimoniis allatis zeugmatis et *ἀπὸ κοινοῦ* notionibus apud veteres detractiones non ita conspicuas aut audaces, contra syllepseos voce miras quasdam et magis notabiles significatas esse contendit. Haec sententia nobis in universum aestimantibus probanda est, quamquam Gerberus alteram, atque eam magis usitatam syllepseos definitionem Latinam quodammodo neglexit. Sed concedendum est in percensendis eiusmodi structuris, quas nunc per zeugma explicamus, ut Graecos, ita Romanos

de syllepsi dixisse, id quod e Rufiniani syllepseos definitione concludi potest. Recte igitur Gerberus de illis figuris disputavit; cui praeterea hoc laudi attribuendum est, quod in uno conspectu posuit illas figuras ad brevitatem elocutionis pertinentes. Nimirum quod haud ita facile illae inter se dignoscuntur, in recentiore quae dicitur Latinitate ab auctoribus minus eruditis notiones confundebantur [1]). Accedit quod adhuc viget zeugmatis et syllepseos explicatio per confusionem quandam illarum figurarum coorta, id quod infra demonstrabitur. Quae cum ita sint, de zeugmatis et syllepseos figuris, si modo earum naturam ac rationem recte quis cognoscère vult, simul est agendum. Hanc rationem quoniam Gerberus iniit, facile fieri potuit ut offenderet in discrepantia doctrinae veteris et huius temporis, et cognosceret lapsu temporum zeugmatis et syllepseos significationes inter se mutatas esse ita, ut zeugma vocaretur id, quod veteres syllepseos voce significassent, syllepsis id, quod antea zeugma appellatum esset; qua mutatione ne quis vetustatis patronus offendatur monens hisce (l. l. p. 474): ... wobei, inquit, der Ueberlieferung kein grösseres Unrecht geschieht, als wenn man seit Bentley die termini Arsis und Thesis, seit Kant subjektiv und objektiv in ihren Bedeutungen vertauscht hat. — Quodsi de nominum rerumque commutatione Gerberus cogitavit, sane non erravit; eam vero, quo modo, quo tempore, quibus de causis illa mutatio facta sit, quaestionem omnino non attigit. Neque tamen operae non pretium fore putaverim in miram illam commutationem inquirere, quantum fieri potest. Atque hoc quidem loco, quoniam de veterum doctrina agitur, exquirendum est, quonam modo ab ipsis auctoribus antiquis peccatum sit in normis supra expositis. Qua in quaestione tractanda respiciamus oportet duo momenta iam supra obiter commemorata. Nimirum satis difficile erat illas figuras simillimas segregare, praesertim cum posteriore tempore in dies augeretur inscitia litterarum auctorumque ignorantia. Accedebat, ut ab initio Romani syllepsi duplicem vim attribuerent, quo facto vario-

---

1) De hac re iam R. Volkmannus (l. l. p. 405 ann.) monuit: Es ist aber zu bemerken, dass in den angeblichen Donat-Scholien zu Terenz in Widerspruch zu der angegebenen Definition Donats in der Grammatik der Begriff Zeugma ganz willkürlich auch auf solche Fälle übertragen wird, in denen von einer Ellipse oder einer constructio κατὰ σύνεσιν hätte geredet werden sollen ...

rumque nominum fluctuatione, quam supra p. 8 sq. ostendimus, quin doctrina antea usitata turbaretur fieri non potuit. Ac profecto cognosci potest iam ab ipsis Romanorum scriptoribus interdum omnia mixta ac turbata esse, velut in scholiis, quae a Donato Terentii comoediis addita esse feruntur; quorum de erroribus iam a Volkmanno (cf. p. 13) memoratis Gerberus l. l. disputat sic (p. 473 sq.): „Zu Ter. Andr. I 1, 6: *Nihil istac opus est certe ad hanc rem quam paro; Sed iis, quas semper in te intellexi sitas* bemerkt z. B. Schol. *sed iis: zeugma, a superiore; quod subauditur 'artibus'*. Nach Donat wäre dies aber Syllepsis. Diese nun wird mehrfach richtig angegeben, z. B. per genera: Andr. V 2, 3: *Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi*; per casus: Adelph. I 2, 65: *verum si augeam Aut etiam adiutor sim eius iracundiae* (Sch. *Σύλληψις, nam a genitivo casu accusativus assumptus est*); per numeros: Adelph. II 2, 21 cet; — aber ausserdem werden ganz andere sprachliche Erscheinungen mit Syllepsis bezeichnet, wie z. B. eine Enallage des genus (durch Konstruktion nach dem Sinn): Andr. III 5, 1: *ubi illic est scelus, qui me perdidit*; und Schol. zu Eun. III 1, 6 weiss nicht, ob er es mit ἔλλειψις oder σύλληψις, Schol. zu Andr. III 2, 14: ob er mit ζεῦγμα oder σύλληψις zu thun hat". — His verbis satis apparere puto, quanta iam tum fuerit nominum rerumque inconstantia ac fluctuatio. Qua re demonstrata nihil superest memoratione dignum, quod afferendum sit ad veterum de zeugmate doctrinam illustrandam; satis igitur de hac re. Transeundum nunc ad novam paragraphum, qua ostendetur, quonam tempore quibusque de causis zeugmatis et syllepseos significationes mutatae sint.

§ 3. **Horum temporum de zeugmate doctrina.**

Veterum doctrinam in dies magis turbatam esse modo vidimus; iam quaerendum est, quamdiu viguerit illa fluctuatio et quaenam zeugmatis explicatio postea a viris doctis proposita sit. Neque vero per singula saecula nos persequi oportet rerum progressionem, quoniam cum v. d. Delbrueckio (cf. Brugmann und Delbrueck, Grundriss der vgl. Gramm. d. indog. Sprachen, vol. III p. 12 sqq.) aliisque profitendum est usque ad Franciscum Sanctium veterum doctrinae ad syntaxin spectanti

nihil fere novi additum esse. Itaque ceteros illorum temporum auctores ut neglegam, satis habebo respexisse accuratissimam illam collectionem, quam Thomas Linacer instituit in libro 'de emendata structura linguae Latinae' inscripto. Ibi (editionis Camerar. a. 1591 p. 416): 'Esto igitur, inquit, Zeugma quoties in similibus clausulis commune aliquid in una positum in aliis non mutatum desideratur.' — Ibid. p. 416 de syllepsi legitur: 'Syllepsis, cum in dissimilibus eiusmodi commune in una positum, in caeteris satis facere non potest nisi mutatum.' — Id, quod nunc zeugma vocatur, ibid. p. 437 a Linacro syllepsis per partes appellatur. — Linacri igitur expositio nihil fere a Romanorum differt, contra Franciscus Sanctius, qui haud ita multis annis post librum de arte grammatica Minerva inscriptum composuit, ab illorum doctrina aliquantum recessit. Zeugmatis enim definitionem ab eo valde mutatam et amplificatam esse constat; nam id, quod Linacer syllepsin per partes vocaverat, in illo libro zeugmatis provinciae additum est. Em conferas ipsum qui (in edit. Perizonii a. 1587 p. 535) definitione antea usitata exposita ita pergit: 'eleganter desideratur idem verbum, sed in alia significatione; ut: *tu colis barbam, ille patrem* ... Saepe plures notiones uno verbo claudi videntur, sed ad verum sensum aliud supplendum est ... Hor. sat. I 3, 9—11 ... subaudi *incedebat*' (cf. infra p. 34). — Primus igitur, quod cognoverim, Sanctius ad zeugma eam, quam nunc habet, significationem detulisse videtur ita, ut veterum doctrina neglecta seu temere seu consulto zeugmatis et sylleрseos notiones confunderet. Qua de causa hoc fecerit, eruere non potui ideoque in dubio relinquam; illud autem praedicandum est hanc Sanctii mutationem momentum fecisse veterum de illis figuris doctrinae convertendae in contrariam partem. Etenim postea qui auctore Sanctio duplicem eam, quam antea syllepsis habuerat, vim zeugmati ascriberent nunquam defuerunt, quoad lapsu temporum altera significatio ex usu abiit, quippe quae supervacanea esset idem fere valens, quod syllepsis. Altera autem quam Sanctius ad zeugma arbitratu suo detulit significatio cum retineretur, factum est, ut zeugma et syllepsis naturam ac rationem veterum doctrinae prorsus contradicentem sibi asciscerent. Atqui multo tempore ac labore opus erat ad praeceptum illud a Sanctio propositum stabiliendum, quod ut ab aequalibus acciperetur tantum

abest, ut contra a nonnullis vehementer impugnaretur nec deessent, qui veterum de illis figuris doctrinam restituerent atque etiam coartarent. Liceat, ut hoc demonstretur, obiter attingi Gerardi Vossii librum Aristarchus qui inscribitur de arte grammatica; ubi (in editionis anno MDCVC publici iuris factae p. 394) diserte ac plane altera atque ea ipsa, quae nunc valet, zeugmatis definitio perstringitur hisce: 'sedulo autem attendere convenit, ne pro Zeugmate huiusmodi [1]) habeatur, quando nihil repetendum *ἀπὸ κοινοῦ*, sed vox alia intelligitur:

Sacra manu victosque deos parvumque nepotem
Ipse trahit —

— ubi in priore membro *portat* intellegendum esset.' Atque etiam angustiores fines zeugmati ab aequalibus dari Vossius ibidem memorans: 'vidimus, inquit, de Zeugmate, ubi nulla verbi immutatio. At aliis non tam laxe zeugma sumitur: sed solum sic vocatur, cum substantivis diversi numeri, aut personae, subiungitur verbum, quod conveniat cum propiore ...' — Vossii rationem postea multi grammatici inierunt, velut Ruddimannus (Inst. gramm. II p. 362 sqq. editionis Stallbaumianae) et L. Ramshornius (Gramm. Lat.[2] § 208, 5), qui nimis subtiliter veterum doctrinam restituere conati sunt. Atque etiam reperiri possunt, qui severiorem et angustiorem definitionem simul retinuerint, cui qui astipulantur de zeugmate dicere non debent nisi tunc, cum verbum substantivis diversi numeri aut personae aut generis subiungitur ita, ut cum propiore conveniat; velut Carolus Reisigius in scholis, quas anno MDCCCXXVI habuit de arte grammatica Romanorum (cf. K. Reisig, Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, ed. Fr. Haase p. 318). Multi igitur gravissimique auctores Sanctium non secuti sunt, cuius tamen doctrina qui uterentur haudquaquam defuere, ut iam diximus. Sed longum est enumerare illos scriptores, cum apud omnes iteretur zeugmatis definitio Sanctiana, plerumque ita, ut primo loco zeugma vocetur constructio *ἀπὸ κοινοῦ* quae nunc appellatur, illa autem, quae nunc viget, zeugmatis explicatio secundo loco perpaucis memoretur, quippe quae rarior et ab usu cotidiano remotior sit; velut in grammatica Marchica quae dicitur,

---

1) Scilicet eius modi, quo qui utitur eiusdem positi verbi aliam formam subintellegat oportet, id quod nunc syllepsin vocare consuevimus.

aliis. Duplex haec zeugmatis definitio longum per tempus vigebat; sed paulatim mutata est ita, ut ea constructio, cuius grammatici antea minorem rationem habere solebant, principatum sibi ascisceret. Etenim quae ante Sanctium ad zeugma spectare putabantur structurae adeo vulgares frequentesque videbantur esse, ut nemo in eis offenderet; quo factum est, ut neglectis eiusmodi structuris ad zeugma ea solum enuntiata referrentur, in quibus aliquid subintellegendum erat. Hanc rerum progressionem v. d. O. Schulze (Gramm. Lat. p. 664) verbis illustravit hisce: 'Zeugma', inquit, 'heisst diejenige Konstruktion, wo ein Prädikat grammatisch nur auf ein Subjekt bezogen wird, dem Sinne nach aber auf mehrere mit dem ersten verbundene Subjekte zu beziehen ist; z. B. *error in hac causa atque invidia versata est.* Cic. Cluent. 4 ... Diese Fälle sind kaum noch eine Unregelmässigkeit zu nennen. Man beschränkt daher die Benennung Zeugma auf solche Konstruktionen, wo ein Prädikat auf mehrere Subjekte bezogen wird, wiewohl es, dem Sinne nach, nicht genau auf alle passt, und von einigen nur durch freiere Uebertragung gesagt werden kann'. — Atqui haud ita facile haec mutatio in doctrinam grammaticorum inducta est, et ne ille quidem, qui primus explanationem zeugmatis adhuc vigentem solam neque cum altera illa consociatam planis verbis declaravisse videtur, G. Zumptius (Gramm. Lat.[7] p. 620), temperare sibi potuit quin notioni zeugmatis verba 'andere Syllepsis' (scil. vocant) uncis saepta adderet. Sed paulatim haec Zumptii explicatio, qua tandem aliquando rerum fluctuatio sublata ac remota est, magis magisque in usum venit eamque definitionem, quae primo apud veteres sola vigebat, deinde post Sanctium principatum obtinebat, omnino loco depulit ac submovit, ita ut nunc sola in omnium usu versetur. Eorum autem, qui Romanorum praecepta sequebantur, doctrina in dies magis obscurata est Zumptii explicatione usui magis accommodata, propterea quod hac syllepsi zeugmatique certi fines dati sunt ambiguitate illa remota, quae usque ad id tempus utriusque figurae rationem turbaverat. Quo factum est, ut illarum figurarum explanatio in eum statum redigeretur, qui adhuc viget; quae quod veterum doctrinae contradicit, id praecipue Sanctio crimini dandum esse vidimus. — In zeugmatis igitur, ut denique paucis omnia complectar, definitione exponenda hae fere commutationes respiciendae sunt: Graeci et Romani id, quod nunc

zeugmatis voce complectimur, ad syllepsin referebant; syllepsis apud Graecos idem valebat, quod nunc zeugma, Romani syllepseos voce comprehendebant ea, quae nunc in figuris syllepseos et zeugmatis numeramus; Romanorum doctrina a Sanctio mutata est ita, ut structuras subintellegendo explendas zeugmatis provinciae ascriberet; zeugmatis vim a Sanctio geminatam Zumptius aliique coartaverunt ita, ut alteram significationem atque eam ipsam, quam illa vox apud veteres habuerat, submoverent, alteram autem, quam Sanctius suo arbitratu ad zeugma detulit, retinerent. Quo factum est, ut a veteribus et huius aevi scriptoribus propositae definitiones zeugmatis et syllepseos inter se contrariae sint. — Fortasse e re est rerum progressum illustrare hoc stemmate:

structuras referebant

	ad zeugma	ad syllepsin
	in quibus aliquid erat	
Graeci	supplendum	subaudiendum
Romani	supplendum	suppl. aut subaud.
Sanctius	suppl. aut subaud.	supplendum
Zumptius	subaudiendum	supplendum

in quo supplendi notione significatur formam aliquam eiusdem, i. e. positae vocis cogitatione addendam esse, notione subaudiendi memoratur aliam quandam vocem e posita eliciendam esse.

Qua rerum progressione nominumque commutatione demonstrata reliquum est, ut aperte ac plane declaretur, quo modo nunc zeugma a similibus figuris *ἀπὸ κοινοῦ* et syllepseos dignoscatur. Quamobrem e permultis testimoniis consentientibus unum afferam, quod v. d. Akenius l. l. (cf. p. 7) p. 2 proposuit:

Ἀπὸ κοινοῦ suppletur, cum vox quaedam, ne bis vel saepius ponatur, omittitur, si

1. a) eadem eiusdem vocis forma vel posita est vel infra eam poni in animo fuit,

   b) alia quaedam eiusdem vocis forma vel numero vel casu vel genere vel persona diversa aut praecessit aut sequitur (Syllepsis);

2. non eadem, quae praecessit, vel quae sequitur, sed similis quaedam sequitur. Veluti in versu Homerico: *ἔδουσί τε πίονα μῆλα οἶνον τ' ἔξαιτον* ex voce *ἔδουσι* facilius suppletur similis notio *πίνουσι* ... (Zeugma).

Apud ceteros huius aevi auctores eadem fere doctrina reperitur, quae nunc in omnium usu versatur ideoque nobis quoque sequenda est. Neque enim refert ab hoc et ab illo immutationem quandam proponi, velut ab Haasio[1]), qui a zeugmate eas structuras segregari vult, in quibus verbum aliquod negatum ad duo enuntiati membra refertur ita, ut in altero negationis vi privetur, velut Tac. Ann. XIII 56: *deesse nobis terra, in qua vivamus* (scil. *potest*), *in qua moriamur, non potest*; ibid. XII 64: *Agrippina, quae filio dare imperium, imperitantem tolerare nequibat*; cf. Schilleri illud: 'Vor dem Sklaven wenn er die Kette bricht, vor dem freien Menschen erzitt're nicht!' — Talia enuntiata cum plerisque viris doctis ad zeugma spectare putabimus, quippe quae subintellegendo explenda sint. — Tum fortasse e re est memorare non modo verba, sed etiam quamlibet aliam enuntiati partem ita adhiberi posse, ut per zeugma supplenda sint ea, quae structurae deesse videantur. Quam rem ut plane ac dilucide proponerem commotus sum mecum reputando interpretes Horatii, quamquam aliquid supplendum esse ex iis quae adessent saepius memoravere, notione zeugmatis in eiusmodi difficultatibus explicandis rarissime uti, ut Kiesslingius ad c. III 12, 6 (*segni*). His praemissis iam accedamus ad rem propositam.

§ 4. De zeugmatibus Horatianis.

Quoniam quae opus erant de zeugmatis natura ac ratione exposuimus, iam ad exempla Horatiana percensenda nos convertamus sequentes eam definitionem, quam his temporibus usitatam esse modo vidimus. Qua utentes si Horatii carmina perscrutamur, tot et tam varias zeugmatis formas adhibitas esse cognoscemus, ut non concedere nequeamus poetam certis quibusdam causis

---

1) Cf. F. Haase, Lat. Sprachwiss. ed. Eckstein p. 207: Es ist eine mit dem herüberzunehmenden verbundene Bestimmung wegzulassen, nämlich die Negation.

commotum esse, ut zeugmatis licentia saepius uteretur; quae causae cuiusmodi fuerint, haud ita difficulter concludi potest. Etenim Horatium summa arte in ornamentis orationis adhibendis versatum esse et veteres et huius aevi auctores memoraverunt [1]), ita ut eum arte rhetorica instructum atque imbutum fuisse nemo sit negaturus. Quamobrem eum praecepta rhetorum secutum ut ceteras figuras, ita zeugma usurpasse putabimus. De huius figurae momento in dicendi genere ornando rhetores antiqui quid senserint ab auctore ad Her. qui vocatur (IV 27, 38) expositum est, qui . . . *ad brevitatem*, inquit, (*apposita est*) *coniunctio, qua re saepius adhibenda est.* — Ac ne huius quidem temporis docti aliter de hac re iudicaverunt, sed zeugmatis brevitate augeri vim verborum docuere, ut F. Handius in eius quem de Romanorum genere dicendi scripsit libri p. 248 [2]). Handii sententia affirmatur eis verbis, quae E. Muellerus [3]) docte disserens de figurae ἀπὸ κοινοῦ usu Horatiano de eiusmodi structuris fecit; opinatur enim poetam cum verbum aliquod duobus membris enuntiati commune alteri servet, animi quandam exspectationem movere voluisse. Etenim eum qui legat, priorem orationis partem (aut alteram!) si inspexerit et intellexerit verbum aliquod ad sensum loci comprehendendum deesse, eo magis properaturum esse ad alteram partem atque ad id verbum, quod ei deesse videatur. Qua re fieri, ut illud ipsum verbum quod in altera parte semel positum sit, maiorem vim atque pondus lucretur. Ad hanc Muelleri et Handii sententiam satis probabilem quin nos applicemus fieri non potest; zeugma igitur cum auctoribus omnium temporum

---

1) Cf. Quintil. X 1, 96: *at lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus: nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax.* — His diebus similiter de Horatii arte componendi iudicavit Mewes in 'Jahresberichte des philol. Vereins' vol. VI, ubi docte disserens de disputatione, quam A. Ruhe anno 1879 addidit programmati Coesfeldensi inscriptam: De ornamentis elocutionis, quibus in componendis carminibus usus est Horatius — verba fecit.

2) L. s. s. Handius: 'Durch den Gebrauch', inquit, 'steht die Form fest, in welcher einem zweiteiligen Satze statt zweier Verba nur ein Verbum zugeteilt, und so ein Begriff entweder übergangen, oder durch den gegebenen involviert wird (ellipsis unius verbi, zeugma). Indem der vermisste Begriff durch den anderen ausgesprochenen nur angedeutet wird und dieser mit stärkerem Nachdruck auf mehrere Satzteile wirkt, erhält die Phantasie freieren Spielraum und die kurze Rede kann kraftvoller wirken.'

3) Diss. Hal. 1862 Observat. Horat. particula, p. 33.

censebimus nonnihil adiuvare et conferre ad dignitatem orationis amplificandam. Neque dubium est, quin ob hanc ipsam causam, ut ornaret orationem et augeret vim generis dicendi, Horatius illam figuram adhibuerit praecepta secutus rhetorum illius aevi. Sed satis de hac re. Iam pauca dicenda sunt de ratione, quae in zeugmatum Horatianorum enumeratione aptissime ineunda erit, ne materia obruti disputationem parum perspicuam instituamus. Atque ea ratione materiae disponendae, quam Willmannus et Kiesslingius proposuerunt (cf. p. 5 sq.), zeugmati tam arti fines terminique constituuntur, ut a nobis probari aut adhiberi non possit, nisi in parte quadam enumerationis. Etenim ut a Willmanno, ita a Kiesslingio, quamquam uno loco (cf. ad c. III 12, 6 *segni*) adiectivum per zeugma suppleri voluit, ceteris enuntiati partibus neglectis zeugmatis significatio ad verba solum refertur, id quod facile fieri potuit propterea, quod longe plurimae constructiones per zeugma correptae in eo genere sunt numerandae. Quae cum ita sint, ratione quadam latius patente utamur oportet; aptissimeque mihi visum est ordiendum esse ab iis structuris, quae in confinio, ut ita dicam, zeugmatis et figurae *ἀπὸ κοινοῦ* versantur. Deinde quibus verbum commune est enuntiata percensenda sunt, idque ita, ut ordinem a Willmanno propositum retineamus. Tum cetera exempla tractabuntur, in quibus e voce quadam posita aliud enuntiati membrum subintellegendo addendum est structurae. Denique de dubiis exemplis, quae utrum in zeugmatibus numeranda sint necne ambigitur, agendum est et de eis, quae falso ab interpretibus per zeugma explicata esse videantur. Semel moneo omnes Horatii editiones a viris doctis comprobatas, quae quidem ad manum fuerint, me consuluisse, in afferendis autem locis Kiesslingii editione ab Heinzio curata me usum esse. Quibus rebus praemissis nihil obstat, quin eamus in medias res.

§ 5. De structuris, quae in confinio zeugmatis et figurae *ἀπὸ κοινοῦ* versantur.

In his primum quidem numeranda sunt ea enuntiata, in quibus ab eodem verbo diversa sermonis forma pendet. Qualia quamquam

magis ad figuram ἀπὸ κοινοῦ accedunt, quoniam sine mutatione significationis a verbo communi pendere putari possunt, hic attingenda sunt nobis perpendentibus non deesse, qui perperam in zeugmatibus ea numerent, velut Kiesslingius[1]) et R. Klotzius[2]), qui, fortasse a prioribus grammaticis pendens, eiusmodi structuris nomen 'Zeugma der äusseren Redeform' indidit. Huc spectant Horatii versus c. I 2, 49—50:

Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps

— ubi Kiesslingius aeque atque in versibus c. II 9, 18—24:

et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis

verborum vim geminatam esse censet ita, ut hic *cantare* et 'singen' et 'besingen' valeat, illic vox amandi Graecorum sermoni (φιλεῖν) accommodata significet id, quod nos dicimus 'zufrieden sein'; itaque utrumque locum per zeugma explicandum esse, quo accusativi casus (c. I 2, 49 *triumphos* et c. II 9, 19 *tropaea*) verbis cum infinitivo vel accusativo cum infinitivo qui dicitur iunctis annexi sint. Sed si Romanorum consuetudinem loquendi respicimus, in utroque hoc loco de zeugmate dici omnino non potest; in Latino enim sermone aliter atque in nostro Germanorum a verbis illis in eodem enuntiato duplex elocutionis forma pendet, neque ullo supplemento opus est. Aliena igitur Kiesslingii sententia, nec minus falsa Orellii opinio est a Baitero et Hirschfeldero probata, qui c. I 2, 49 ad *triumphos* vocem *agas* elici voluit ex universa sententia. Contra L. Muellerus plerique alii recte de duplici constructione a verbo pendente cogitant et illis locis et in c. I 1, 18—20:

Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit . . .

---

1) Cf. ad c. I 2, 49—50.
2) Handbuch der lateinischen Stilistik p. 292.

K i e s s l i n g i u s subintellegi vult *sumere* ad *pocula* ita argumentatus: Ein 'Zeugma' nötigt hier zu *pocula,* dessen direkte Verbindung mit *spernit* die Concinnität der Satzglieder empfindlich stören würde, ein sumere hinzuzudenken. — Sed cur idem in proximi carminis loco huic simillimo (c. I 2, 49—50) non postulat, ut propter concinnitatem structurae vox quaedam suppleatur? Equidem neglecta hac ratione eam praeferam interpretationem plerisque probatam, qua verbum *spernit* cum duplici sermonis forma coniunctum esse putetur. Deinde hoc in genere numerandi sunt versus c. III 14, 14—16:

ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras

quibus nihil addendum est, praeterquam quod L. M u e l l e r u s supervacuam coniecturam proponens utraque notione *nec* deleta bis *nunc* legi vult et praepositionem *per* ad *tumultum* subintellegens explicat: 'nunc per tumultum, nunc mori per vim metuam'. Ad hanc explicationem nimia sagacitate insulsam a P e e r l k a m p i o adductus est annotante verba *non metuam mori* aeque atque in c. III 9, 11 *pro qua non metuam mori* valere *libens moriar.* Sed quae hoc loco leguntur *nec mori per vim metuam* simplicius aptiusque explicari videntur per *nec necem metuam,* quippe qua ratione interpretandi magis perspicua et primum se offerente adhibita et retineatur principalis vis vocis metuendi et opus non sit coniectura illa *nunc* pro lectione *nec* proposita. Putabimus igitur hoc quoque loco verbum (*metuam*) cum diversis constructionibus coniunctum esse.

Sed satis de illo genere, quod ad zeugma pertinere nego. Alterum vero genus constructionum in zeugmatis et figurae ἀπὸ κοινοῦ confinio positarum iam magis ad zeugma spectare videtur, nimirum ea enuntiata, in quibus notio communis ad alterum membrum sine difficultate referri potest, ad alterum autem nisi significatione metaphorice immutata non potest. Oportet igitur subintellegamus alteram notionis vim, modo propriam, modo translatam, ita ut, quamquam significatio desiderata ex ipsa notione posita elici potest sine ipsius vocis commutatione, tamen talia enuntiata ad zeugmatis naturam ac rationem incumbere videantur. Nec desunt, qui ea in zeugmatibus numerent; velut R. V o l -

mannus et C. Hammerus[1]), qui de zeugmate agens: Häufiger, inquit, sind Fälle, in denen ein Verbum oder ein anderes Wort mit einem dazu gehörigen Substantivum im eigentlichen, mit einem anderen im übertragenen Sinne zu verbinden ist, wie Cic. Sull. 11, 33: *erigite mentes aurisque vestras* . . . — Ex Horatii interpretum numero ab hac parte stant L. Muellerus[2]) et A. T. H. Fritzschius[3]). Tales autem structuras illepidas atque insulsas esse Haasius[4]) contendit; sed quoniam argumenta non attulit, tantum abest, ut eius auctoritatem sequamur, ut etiam non sine arte et facetia Horatium in ambiguitate vocum aliquotiens iocatum esse arbitremur, id quod infra (p. 26 sqq.) demonstrabitur. Sed antea cetera exempla quae huc spectant colligenda sunt, quorum primum occurrit in c. I 15, 11—12:

. . . iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Vox *parat* melius ad res visu tactuque manifestas quadrans tropo translationis adhibito etiam cum notione *rabiem* coniuncta est, quam eandem tropice per metaphoram usurpatam esse Handelius[5]) memoravit. — Paulo uberius agendum est de loco epod. XVI 15—16:

Forte quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus.

Viri docti de his versibus mirum in modum inter se dissentiunt; plerique corruptos esse censentes pro *quid* legi volunt *quod* et verba *quod expediat* explicant *quod prosit,* velut Bentleius, Muellerus, Kellerus, Nauckius, Weissenfelsius; alii vocem *forte* particula *si* omissa idem valere quod prosae orationis *si forte* et sententiam condicionalem esse putant, ut Hirschfelderus. Novam interpretationem A. Spengelius[6]) proposuit, ut traditam lectionem *quid* retineret et defenderet: 'forte communiter quaeritis (fraget ihr) quid expediat (was euch aus der Schlinge reissen, was Abhilfe gewähren kann) aut certe melior pars malis laboribus carere

1) Handbuch d. klass. Altertumsw. II 3 p. 45 rec. C. Hammer, 1901.

2) Cf. ad epl. II 1, 7 *colunt.*

3) Cf. ad sat. II 6, 18 *perdit.*

4) Vorles. über lat. Sprachwiss. ed. Eckstein p. 207.

5) Progr. Brody 1896: De troporum apud Horatium usu p. 24: . . . quasi rabies inter arma sit . . .

6) Philologus XXIV 354.

quaeritis (suchet ihr)'. Kiesslingius hanc explanationem in universum probat, contra Kellerus impugnat hisce[1]): Also quaerere soll doppelsinnig stehen! Wo bleibt da der schon von Sueton dem Horaz nachgerühmte besondere Vorzug des klaren Ausdrucks? — Has sententias adumbrare meum non est praeter Spengelianam. Atque Kellero parum perspicuam structuram esse rato, si voci *quaeritis* vis duplex attribueretur, hoc opponi potest in Romanorum sermone facile ex notione quaerendi elici potuisse eas significationes, quas nos Germani alteram ab altera segregantes vocibus 'suchen' et 'fragen' exprimere solemus. Itaque non esse censuerim cur Spengelii et Kiesslingii explicatio spernatur.

Tum fortasse hic licet inserere versus sat. II 6, 18—19:

Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster
Autumnusque gravis

ad quos Fritzschius annotavit: 'bei ambitio steht statt des erwarteten *vexat, agit* vielmehr *perdit,* weil Ehrgeiz wirklich zu Grunde richten kann (vgl. Epl. I 2, 37), dann aber mit einem leichten Zeugma, wegen des folgenden Auster'. — In eiusdem sermonis versibus (sat. II 6) 33—34 [2]):

. . . aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus . . . .

duplex sensus in verbo *saliunt* inest: per caput vagantur ea negotia, quorum reminiscitur Horatius antea mandatorum, circa latus nova negotia saliunt. Luculentius quam in exemplo modo memorato verbi ambiguitas apparet in epl. II 1, 5—7:

Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, . . .

Consentiunt interpretes colendi verbum in primo membro (*terras*) vim 'urbar machen', in altero (*hominum genus*) vim 'ausbilden' habere. Praeterea memoratu dignum est L. Muellerum in versibus de quibus nunc agitur explanandis voce zeugmatis usum esse.

1) Epilegomena II 399.
2) In hoc loco explanando mihi Kruegerum sequi visum est.

Interdum nominibus duplex significatio ab Horatio attributa est, ut c. I 28, 1—2:

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris . . . munera

ubi Kiesslingius '*mensorem*', inquit, 'doppelsinnig, von dem der sich vermass den Erdball gleichsam zu 'durchmessen' und den Sand 'auszumessen'. — Idem auctor est in libri de arte poetica v. 51:

. . . dabiturque licentia sumpta pudenter

voce *licentia* conclusas esse significationes 'Erlaubnis' et 'Freiheit'. — Denique de uno enuntiato agendum est, in quo componendo Horatius singulare quoddam genus dicendi adhibuit, nimirum in sat. II 2, 124 sq.:

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.

Vox *Ceres* in prima v. 124 parte deam, in altera metonymice segetem significat, id quod Fritzschius, Orellius, Hirschfelderus annotaverunt. Quo in genere dicendi cur offendamus non esse L. Muellerus contendit, qui hunc locum adumbrans idque spectans, ut saepius apud veteres deorum nomina miro modo pro nominibus appellativis adhibita esse demonstraret, illum Ovidii versum (Ep. ex P. IV 10, 55) attulit: *quique duas terras, Asiam Cadmique sororem, Separat.* — Atqui talia ut apte afferri possunt ad alios Horatii locos explanandos, velut c. III 24, 12—13:

Inmetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt

vel sat. I 5, 73—74:

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum;

ita ad hunc locum non quadrant, qui ab exemplis prolatis in eo differt, quod in eodem versu duplicem significationem nominis *Ceres* agnoscamus oportet. Itaque quamquam metonymia illa apud Romanos usu adeo trita fuisse putanda est, ut nemo, qui legeret, admiraretur, tamen, opinor, fieri non potuit, quin etiam Romani quodammodo offenderent in eiusmodi nominis *Ceres* usurpatione, ut simul et dea et metonymice seges significaretur.

A specie constructionum modo perlustrata paulum differt id genus dicendi, quod a Gerbero (in libri identidem allati p. 475 adn.) describitur hisce: 'Zeugmatisch wird zuweilen mit Absicht

geredet; die Wirkung ist die des Paradoxon, meist komisch, wenn eín Wort mit mehreren Worten verbunden steht, zu welchen es zwar passt, aber einmal in eigentlicher, ein andermal in uneigentlicher Bedeutung. So z. B. Tac.: *Germania a Sarmatis mutuo metu aut montibus separatur* ... Jean Paul: Eine Strasse lief durch das Dorf und viel Volks ...' — Huiusmodi loci apud Horatium nonnulli inveniuntur, ubi animi statum laetum aut iocosum ad genus dicendi fingendum vel facete formandum nonnihil adiuvisse in propatulo est. Cuius rei luculentissimum exemplum praebent versus sat. II 1, 24—25:

saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis.

Negari non potest in hoc enuntiato poetam nescio quo consilio iocoso ambigua voce *accessit* usum esse. Kruegerus annotavit: 'auf eine scherzhafte Weise ist das Verbum *accessit* in ganz verschiedener Beziehung gebraucht mit zweierlei Subjekten und Objekten *fervor* — *capiti, numerus* — *lucernis:* sobald er die Lichter doppelt zu sehen anfängt'. — Deinde haud scio an huc spectet locus c. III 12, 3—4:

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas operosaeque Minervae
studium aufert, Neobule, Liparaei nitor Hebri.

De iocoso verborum sensu recte Nauckius cogitavit, qui Horatium, cum Neobulen se consolari simularet, revera ludificari quodammodo puellae amorem ac desiderium censuit. Ac profecto poetae animi status genus dicendi iocose reddidisse videtur ita, ut in signis amoris enumerandis et deridendis mire voce *aufert* concludantur nomina satis disparia *qualum, telas, studium.* — Eandem rationem Horatius iniit in epl. I 8, 13—14:

Post hoc, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Vt placeat iuveni, percontare

ubi nomina *rem* et *se* mire coniunguntur et concluduntur verbo *gerat,* non inconsulto, nam vocis ambiguitate facetum redditur genus dicendi.

Semel adiectivum ita adhibitum est in sat. II 6, 14:

Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium ...

Iocatum esse poetam in geminata vocis *pingue* significatione Orellius auctor est. Ad *ingenium* relatum *pingue* valet *tardum;* cf. sat. I 3, 58: *tardo cognomen pingui damus.*

§ 6. De zeugmatibus, in quibus commune membrum verbum est.

In huiusmodi exemplis enumerandis ordinem a Willmanno propositum sequentes primum quidem de eis structuris disputabimus, in quibus e verbo posteriori enuntiati parti addito elicienda est notio ad priorem partem quadrans; hoc in genere zeugmatis numerabimus c. I 9, 18—24:

nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Conposita repetantur hora:
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

Duplex in his versibus difficultas inest; primum enim ad *campus* et *areae* non quadrare verbum *repetantur* Kiesslingius auctor est; itaque eliciendum est ac supplendum *ineantur;* tum quae in proximis versibus adduntur nomina *risus* et *pignus,* non apte ad *repetantur* posse referri Nauckius, Orellius, Hirschfelderus sentiunt. Tamen nolunt cum Kiesslingio aliisque *est, iuvat* seu similia supplere, sed audacius a *repetantur* pendere *risus* et *pignus* volunt, quod nisi per zeugma suppleta voce *requirantur* fieri non potest. Praeferenda videtur esse haec explicatio; etenim procul dubio augetur sublimitas dicendi, si ita structuram explicamus, ut non tam in v. 21 exile illud et languens vocabulum *est* subintellegamus, quam opinemur omnia versuum allatorum nomina pendere a verbo *repetantur* [1]). Deinde locum c. II 3, 21—23:

Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest an pauper et infima
De gente sub divo moreris

ut recte explicemus, proficiscendum est a vi notionum *sub divo;* quarum de principali vi 'unter freiem Himmel' poetam cogitasse appositis verbis *pauper et infima de gente* evidenter demonstratur.

---

1) Versus c. I 9, 20—24 quamquam rectius in posteriore huius paragraphi parte tractandi erant, quoniam in iis structura per zeugma continuatur, tamen hic posui, quod commodius cohaerentes cum prioribus percenseri poterant.

Quamobrem cum plerisque interpretibus hos versus ita explicem, ut *natus ἀπὸ κοινοῦ* positum ad *Inacho* et *gente* referam, in priore membro e notione *sub divo moreris* eliciendum esse *in terris moreris, vivas* seu sim. putem, fortasse etiam contrarium *luxu et voluptate abundes,* id quod magis responderet vocibus *dives . . . prisco ab Inacho.* — In eiusdem libri c. II 17, 13—15 legitur:

Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec si resurgat centimanus Gyas
Divellet umquam;

h. l. vocem *divellet* magis propiori nomini *Gyas* respondere cum Kiesslingio arbitrabimur, quoniam *Gyas* Horatium a Maecenate manibus abstrahere posset; ad *spiritus* melius quadraret *segregabit, depellet,* id quod per zeugma addendum est. — In tertio quoque carminum libro tales structurae exstant, ut c. III 3, 30—33:

Protinus et gravis
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo.

Muellerus monet: 'hier steht *redonabo* bei dem zweifachen Accusative zeugmatisch (vgl. zu III 6, 6 refer); zuerst für *remittam;* dann für *concedam*'. — Cui Kiesslingius et alii astipulantur.

C. III 11, 17—20:

quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus taeter saniesque manet
Ore trilingui:

quos ad versus Orellius et Baiterus annotaverant vocem *manet* per solitum zeugma etiam ad verba *spiritus taeter* referri, qui proprie emitteretur; oportere igitur suppleri: *emittitur, prorumpit.* — Quam annotationem Hirschfelderus delevit, qui cum Kiesslingio, Muellero, aliis totum hunc locum interpolatum esse recte arbitratur. Nimirum supervacua vox *eius* v. 18 Horatii generi dicendi parum accommodata est; accedit quod Horatius particulam *atque* non postponit nisi in primis quae composuit carminibus, in epodis (8, 11; 17, 4) et in satiris (I 5, 4; 27; 6, 110; 130; 7, 12; 10, 28; 82) nec usquam alibi, id quod Hirschfelderus monet. Denique notiones *taeter* et *sanies* ab urbanitate Horatii alienas esse Muellero concedendum est. Quae quamquam ita se habent, tamen afferendos putavi hos

versus, quoniam in omnibus fere Horatianorum carminum editionibus adhuc leguntur, etsi uncis saepti; explicatione vero Orelliana modo exposita quin utamur, facere non possumus. — Praeterea hic inseramus oportet c. III 24, 45—50:

vel nos in Capitolium
Quo clamor vocat et turba faventium
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, . . .

ubi zeugma facillimum est, ut Muellerus, Kiesslingius, Hofman-Peerlkampius, alii consentiunt: in Capitolium scil. *feramus*, in mare *mittamus* res pretiosissimas. — Adde proximi libri c. IV 14, 9—13:

milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque velocis et arcis
Alpibus inpositas tremendis
Deiecit . . .

Vox *deiecit* ad arces accommodata est; remotioribus nominibus *Genaunos, Breunos* cogitando attribuatur oportet verbum *stravit* cum Muellero, Kiesslingio.

Ac ne in iambis quidem quae huc spectent enuntiata desunt, ut epod. 12, 4—6:

Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer ubi lateat sus.

Muellerus e voce *cubet* elicere vult *habitet* (Catull. 69, 6) ad *polypus* quadrans; similiter Kiesslingius, Ritterus hunc locum explicant, de quo cur pluribus agatur non est. Contra uberiore quadam interpretatione egent versus epod. 15, 7—8:

Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,

ubi Muellerus corruptum putans locum de lacuna quadam cogitat suspicatus post aut ante vocem *et* duos versus intercidisse, quibus alterum vel tertium memoratum esset exemplum rerum quarumdam immutabilium et constantium. Sed enuntiati traditi struc-

tura defendi potest; etenim A. E. Housmanus[1]) et H. Roehlius[2]) hic zeugma esse evicerunt correptum ex enuntiato: *'dum lupus pecori infestus* (ἀπὸ κοινοῦ) *terreret ovilia* (zeugma) *et Orion nautis infestus turbaret hibernum mare'*. Satis similem explanationem Kiesslingius profert, qui de ratione, quam in hoc enuntiato componendo poeta iniit, haec fere: '*infestus*', inquit, 'gehört ἀπὸ κοινοῦ auch zu lupus; statt eines für beide Subjekte passenden Prädikates, das sehr allgemein hätte sein müssen, tritt dann energischer Anschaulichkeit zu Liebe das nur auf Orion gemünzte: *turbaret hibernum mare* ein: ein kühnes Zeugma' . . .

Quocum exemplo apte conferuntur versus sat. II 2, 10—13:

> . . . *vel, si Romana fatigat*
> *Militia adsuetum graecari, seu pila velox*
> *Molliter austerum studio fallente laborem,*
> *Seu te discus agit* (*pete cedentem aera disco*)

quem locum Muellerus Peerlkampium secutus ita sanandum esse censet, ut omissis verbis *molliter austerum* et *pete cedentem aera disco* legatur: *seu pila velox Seu te discus agit studio fallente laborem.* Sed nulla emendatione opus esse ostenditur eis explicationibus, quae cum a Kiesslingio, tum a Schuetzio, Kruegero, aliis propositae sunt. Atque Kiesslingius ita disputat: '. . . nur für das zweite Glied *seu te discus agit* hat der Nachsatz die von Hause aus gewollte imperativische Form *pete cedentem aera disco* behalten: für das erste ist das eigentlich erwartete *molliter pilae studio falle laborem* mit leichtem Anakoluth in eine das Wesen des Ballspiels charakterisierende attributive Bestimmung übergegangen'. — Haec explicatio abstrusa quamquam tolerari potest, tamen a perspicuitate remotior est, quam ut probanda sit aut comparari possit cum ea interpretatione, quam commendaverunt Mewesius, Schuetzius, Kruegerus (a quo laudatur Housmanus Class. rev. 1901 p. 404 sqq.). Cum his viris doctis aptissime ita hos versus explanabimus, ut vocem *agit* ἀπὸ κοινοῦ etiam ad *pila* referamus, e verbis *pete aera disco* subaudiendum esse *pila lude, pete aera pila* opinemur. Denique huc spectare videtur structura epl. I 2, 34:

> *Si noles sanus, curres hydropicus.*

---

1) Class. rev. XV 1901 p. 404—406.
2) Jahresber. des philol. Vereins 1903 p. 45.

Vario modo hic versus explicatur. Alii e proximo versu *expergisci* supplent, alii ex sq. *currere*. Kruegerus profert: '*noles* scil. *ire* (*ambulare*) (um der Krankheit rechtzeitig vorzubeugen)'. Utramque interpretationem Orellius impugnavit hisce: ad verba *si notes* simplicius est supplere *currere* quam cum aliis *ambulare*; saltem dixissent: *saepius celeres ambulationes conficere.* Falsum contra aliorum est supplementum *expergisci;* etenim oppositio inter expergiscendum et currendum minus est concinna. — Quod supplementum *expergisci* sprevit, recte fecit; sed non recte Orellius Kruegeri aliorumque sententiam impugnat. Immo Kruegerus recte iudicasse censendus est; nam ut morbus praecaveatur, non tam curras quam omnino motum facias oportet.

Sed haec hactenus. Iam disputandum est, quia rationem Willmanni sequimur, de eis enuntiatis, quorum structura per zeugma continuatur; quod zeugmatum genus quasi oppositum est generi modo tractato, quoniam in hoc antecedebant notiones ad verbum commune non quadrantes, in illo nomina verbo parum accommodata sequuntur. Ecce exempla: c. I 4, 16—17:

Iam te premet nox fabulaeque manes
Et domus exilis Plutonia.

Muellerus frustra, opinor, demonstrare studuit vocem *premet* non modo ad *nox,* sed etiam ad *Manes* et *domus* quadrare; nam quid inesse momenti putabimus his argumentis: 'dann aber auch passt es (*premet*) zu *Manes,* ebenso gut wie es von Merkur heisst 10, 18 *virgaque levem coerces aurea turbam.* Nach Plutos Gebot darf kein Schatten die Schaar der übrigen verlassen. Vgl. die Worte des Deiphobus Aen. VI 545: *discedam explebo numerum reddarque tenebris.* Noch beachte man, dass II 13, 32 die Schatten als *densum umeris volgus* bezeichnet werden'? — Mihi quidem haec nihil fere valere videntur, quod ad vocis *premet* vim attinet, saltem ad difficultatem tollendam minime valent. Rectius Dillenburgerus, Orellius, Kiesslingius delitescere sub *premet* voces *circumdabunt* ad *Manes, teget* ad *domus exilis* referendas censuere. Quid? quod etiam Nauckius, quamvis vehementer interpretes zeugmate utentes impugnet, concedit ad alterum nomen non facile verbum *premet* [1]) referri posse. Hoc auctoris zeugmatis inimicissimi

1) Cf. ad h. l.: 'Ein Zeugma mag man das nennen, sofern in das gemeinschaftliche Joch des Verbums ein Paar Nomina gespannt werden, von denen es dem einen nicht recht sitzen will'.

testimonio quaestionem diiudicari arbitror ita, ut dubium non sit, quin hic locus ad zeugma spectet. — Alterum quoque exemplum in eodem libro invenitur, c. I 15, 5—8:

Mala ducis avi domum
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Ad verbum *rumpere* non aptum adnectitur vocabulum *regnum*, subaudiendum *evertere* (cf. Dillenburg., Muell., Kiessl. al.); nec non in altero carminum libro c. II 19, 17:

Tu flectis amnes, tu mare barbarum

ubi Muellerus flectendi verbum interdum id significare adnotat, quod nos Germani dicimus 'unterwerfen, untertänig machen'. Sed eum ut sequerer animum inducere non potui; mihi quidem eiusmodi significatio locusve non innotuit. Recte igitur Dillenburgerus, Orell.-H., Ritterus adnotant flectendi verbum, ut ad *mare* posset referri, generalem domandi et regnandi notionem accipere debuisse. Similiter nomen parum conveniens (*aurae*) coniungitur cum verbo antecedente in c. III 4, 6—8:

audire et videor pios
Errare per lucos amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae

ubi Muellerus, Orellius, Hirschfelderus e notione *subeunt* elici volunt notionem *perflant* ad *auras* quadrantem; quibuscum facientes reiciemus Dillenburgeri sententiam, qui zeugma hic adhibitum esse negans urbaniorem v. *subeunt* pro *intrant* positam esse putat. Nimirum in ea quaestione, utrum hi versus per zeugma explicandi sint necne, tractanda non tam in urbanitatem, quam in vocis positae principalem significationem inquiramus oportet; quae quoniam ad alterum quocum coniungitur nomen non quadrat, h. l. per zeugma usurpata est. Item in c. III 4, 9—13:

Me fabulosae Volture in Apulo
Nutricis extra limina Pulliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere.

Horatium h. l. Homeri versus (Od. VI 2 ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρήμενος; Il. X 98: καμάτῳ ἀδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ) imitatum esse non est cur negetur. Qua re demonstrata non satisfieri

posse explicationi puto; itaque zeugmate admisso interpretor cum Orellio: ludo fatigatum somnoque *oppressum;* neque enim de somno fatigante dici potest. Eiusdem carminis (III 4) versus 21—24:

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae

supplementi egere videntur. Atque accusativi qui desunt loci facilius supplentur cogitando quam vox *tendo, auferor* ad Baias non altius, sed inferius Roma urbe positas, e notione *tollor* elicienda, id quod recte a Muellero propositum est. Nauckius scilicet zeugma impugnat: parum Romanorum consuetudinem loquendi respiciens vocem tollendi confert cum notione 'sich aufmachen', quae apud nos usu facta est tritissima. Cui non assentiendum; immo cum Rittero putabimus verbo *tollor* ascensum ex urbe in altiorem locum scite notari, ita ut ad *arduos Sabinos,* ad *Tibur supinum* accommodatum sit, ad *Baiae* autem per zeugma notio *tendo* seu sim. elici oporteat. In postremo eiusdem libri carmine Horatius simili usus est brevitate dicendi scil. (III 30) v. 3—5:

(*Exegi monumentum . . .*)
Quod non imber edax, non Aquilo inpotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.

Sumenda est ex *diruere* significatio *oblivione obruere* ad posteriora nomina *annorum series* et *fuga temporum* quadrans. Etenim cum his nominibus vox *diruere* non aeque coniungi posse atque cum antecedentibus *imber* et *Aquilo,* sed aliam significationem sibi asciscere Ritterus adnotavit et Kiesslingius qui: '*diruere*', inquit, 'für die voraufgehenden Subjekte *imber edax, aquilo inpotens,* wie die Beiworte zeigen, in voller sinnlicher Kraft empfunden, verblasst für die nachfolgenden *annorum series, fuga temporum* zu blossem *obruere oblivione*'. — Porro in constructionum genere per zeugma continuatarum numerandum est enuntiatum sat. I 3, 9—11:

Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret;

h. l. zeugmate satis duro e voce *currebat* opposita notio *incedebat*

subintellegenda est, id quod negat Muellerus, qui hos versus inexplicabiles vel potius adeo corruptos esse putat, ut sanari nequeant. Atque id praecipue fieri non posse contendit, ut ex *currebat* ipsa opposita vox *cessabat* seu sim. suppleatur. Sed verbis *velut qui Iunonis sacra ferret* illud supplementum defenditur ac paene praebetur, Romanis magis quam nobis, qui totiens talia videbant, ut illa verba legentes tardum ingressum pomparum etiam inviti, ut ita dicam, in memoriam revocarent. Nec sane inepte a Kiesslingio afferuntur haec Ciceronis verba (de off. I 36, 13): *cavendum autem est ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates.* — Quae omnia si nobiscum reputamus, supplentes *incedebat* per zeugma hunc locum explicabimus, qua de interpretatione plerique consentiunt, ut Kirchnerus, Schuetzius, Fritzschius, Kiesslingius, Kruegerus. — Nunc reliquum est, ut de tribus locis similibus agatur, ubi verbo cuidam sentiendi adnectuntur res, quae sensu vocato percipi non possunt. Eiusmodi structuras omnibus temporibus identidem compositas esse Iacobus Grimm allatis exemplis ostendit [1]), itaque neque vituperandas aut spernendas esse. Eandem fere sententiam Ch. A. Lobeckius protulit, qui ad Soph. Ai. v. 1035 adnotavit frequentissime eas structuras occurrere, in quibus grammatici αἴσθησιν ἀντὶ αἰσθήσεως poni dicerent. Ceteri viri docti horum opinioni se applicant in eo, quod genus dicendi modo descriptum non reprehendunt; sed de ea quaestione, quomodo talia explicanda sint, magna inter eos dissensio est. Alii enim verbo posito generalem quandam vim percipiendi inesse putant, alii e verbo posito per zeugma aptam notionem elici volunt. Utris assentiendum sit si quaerimus, cum his potius per zeugma tales structuras explanabimus. Etenim quae quoque sensu percipiantur, nemo nescit; facile igitur cognoscitur acyrologia, per quam res sub alium quendam sensum cadentes parum apte verbo sentiendi posito adnectuntur, nec minus facile cogitando expletur structura, quoniam quae notio sentiendi desit satis constat. Sed longum est in subtilitates huius rei inquirere; itaque, ne a proposito ad alia aberremus, iam his,

---

1) Haupts Zeitschr. f. d. deutsche Altertum, vol. VI p. 1 sqq.

quae maxime rem continent, absolutis nos convertamus ad Horatii versus huc spectantes c. I 14, 3—6:

Nonne vides ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant. . . .

Muellerus et Kiesslingius hic zeugma esse negant contendentes vocibus videndi, audiendi, similibus generalem vim percipiendi ab Horatio attributam esse. Exempla autem, quae, ut id evincerent, attulerunt, non apta sunt. Etenim in omnibus (praeter III 10, 5—8, quo de infra) agitur de rebus, quae ipsae vel quarum pars quaedam (ut in sat. II 8, 77 corporis habitus susurrantium videtur) eodem sensu, quem dicit poeta, percipi possunt. Hunc vero locum, quoniam ad verbum positum *vides* res referuntur, quae visu non manifestae sunt, Orellius, Hirschfelderus, Roehlius alii recte per zeugma explicaverunt. Cui simillimus est locus c. II 1, 21—24:

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Miras variasque sententias interpretes protulerunt de horum versuum sententia et structura. Commodissime plerique, ut Orell.-H., Kellerus, Roehlius, *audire* per facillimum zeugma ad utramque enuntiati partem referunt. Kiesslingius verba *cuncta terrarum subacta* neque ab *audire* pendere neque a verbo quodam ex *audire* eliciendo, sed posita esse censuit pro: *et animum Catonis cunctis subactis atrocem et invictum.* Sed haec magis ad sententiam adumbrandam, quam ad structuram loci explicandam valent ideoque minoris momenti sunt. Singularem interpretationem Muellerus profert, qui non tam sub *audire,* quam in *subacta* zeugma delitescere suspicatur: 'man ziehe *subacta* auch zu *magnos duces,* wobei mit leichtem Zeugma aus *subacta* zu ergänzen ist *superatos, devictos* . . . Gemeint sind Scipio, Afranius und die übrigen Feldherren bei Thapsus, mit welcher Schlacht der Krieg zwischen Caesar und Pompeius seinen Abschluss fand'. — Cui soli ita interpretanti non astipulor, sed omnes in bellis civilibus gestis expertos duces significari putaverim ideoque vocem *duces* per zeugma cum *subacta* coniungendam esse negarim. — Nauckius

more suo in zeugma invehitur. Quem si sequeremur, non tam de zeugmate facillimo, quam cogitaremus oporteret de duplici structura a verbo *audire* pendente eius generis, quod supra p. 21 sq. descriptum est. Deinde cogitandum esset de Pollione historiam suam recitante, qua explicandi ratione sententiam magnopere extenuari Orellius demonstrat, qui zeugma adhibens haec omnia, strepitum lituorum, fulgorem armorum, ducum militarem eloquentiam ex historia Pollionis lecta ad Horatii mentem pervenissè eamque vehementer percussisse putare mavult, id quod probandum est. Tertium huiusmodi exemplum est c. III 10, 5—8:

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nivis
Puro numine Iuppiter?

Nauckius, Muellerus, Dillenburgerus de nive frigore conglaciata sub hominum animaliumque pedibus stridente cogitant, itaque zeugma spernunt. Kiesslingius omnino spernenda profert; in eo enim peccat, quod grammaticorum normam, licet sententiam non immutaverit, consulto neglegit, quo facto quaestio, utrum hic zeugma usurpatum sit necne, subterfugitur. Quorum interpretationes non probabimus, sed respicientes proximi loci c. II 1, 21—24 similitudinem rectius cum Kellero, Orell.-H., Roehlio zeugmate utemur.

In eis, quae prima et altera huius paragraphi parte tractata sunt, exemplis omnibus, quamquam verbum ad alterum membrum non quadrabat, tamen non ita difficulter sententia cognoscebatur, quoniam verbum propiori membro conveniebat. Aliquanto duriora sunt ea enuntiata, in quibus verbum commune alteri membro conveniens alteri additur, ut in c. I 36, 5—7:

caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae . . .

quem locum cum Kiesslingio Nauckius, Roehlius quamquam zeugmatis voce non utentes ita explicant, ut e *dividit* notionem dandi, impertiendi eliciant. Muelleri verba ('*dividit* steht ohne den Begriff einer gleichmässigen Verteilung für *dedicare, dare*') difficultatem subterfugiunt; neque enim usquam *dividere* ita legitur, ut illud valeat. Recte igitur hunc locum Kiesslingius explicasse putandus est, qui *dividit* ad *sodalibus*

referendum esse censet, ad *Lamiae* subaudiendum *inpertit.* Nec sane inepte idem auctor zeugmate utitur in explanando versu c. III 11, 49:

I pedes quo te rapiunt et aurae.

Pedes *ferunt,* aurae *rapiunt:* ex hac voce per zeugma illa supplenda, verbique *rapiunt* significatio cogitatione commutanda est inter nomina *pedes* et *aurae.* — Simile zeugma est in c. IV 4, 41—44:

(ille dies)
Qui primus alma risit adorea
Dirus per urbis Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

ubi verbum *equitavit* quod usurpatum est, ad *Afer* quadrans voci *Eurus* additur (Muell., Kiessl.). Dillenburgerus hoc verbum, quippe quod celeritatis notionem habeat, facili non tam zeugmate quam metaphora ad flammam et Eurum translatum esse voluit; sed dubito, an id, quod flammae maxime proprium est, celeritatis notione apte significari non possit. Itaque potius per zeugma suppleri velim *furit, pervagatur* cum Hirschfeldero, qui recte monuit his versibus et celeritatem Hannibalis et Italiae depopulationem describi. — Eiusdem generis structura est in epod. 5, 87—88:

Venena maga non fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.

Versus hos vexatissimos denuo vexare meum non est. Satis habebo memorare me eam explicationem probare quam Kiesslingius ex Bentleii et Hauptii coniecturis proposuit, quippe quae ceteris multo probabilior sit ac sola fere bonum sensum praebeat: oportet sumatur *avertere* ad *humanam vicem* e voce *convertere,* quae ipsa ad priorem partem est referenda.

Nunc unum restat exemplum huc spectans, sat. I 1, 103—104:

. . . non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem

quem locum cum plerisque interpretibus (Kiessl., Schuetz., Heindorf., Roehl. cet.) ita explicabimus, ut *fieri* ad *vappam* et *nebulonem* referamus, subaudiamus *esse* ad *avarum* accommodatum.

§ 7. De ceteris zeugmatibus.

In his exemplis alia quaedam enuntiati pars communis est, ex qua per zeugma notio quaedam est elicienda. Saepius suppleri oportet vocem oppositam et contrariam, ut in sat. I 1, 1—3:

Qui fit Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentis?

ubi aeque atque in simillimo loco sat. I 1, 108—109:

Illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentis,

e voce posita *nemo* eliciendam esse notionem *quisque* ad *laudet* quadrantem in propatulo est, id quod praeter Horatii interpretes monuere Volkmannus et Hammerus[1]). Nec sane negarim in sat. I 2, 57—58:

'Nil fuerit mi', inquit, 'cum uxoribus umquam alienis'.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus

in versu 58 vocem *aliquid,* scil. *est,* cum ex universa sententia, tum e proximi versus opposita notione *nil* subintellegendam esse (Kiessl., Krueg.). Eodem auctore Kruegero in sat. I 6, 49—50:

Dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,

censuerim verba *iure mihi invideat* ἀπὸ κοινοῦ posita, e *quivis* notionem *quisquam* in posteriore membro supplendam esse respiciens verba Porphyrionis, qui recte de huius loci sententia disserens: *prudentissime,* inquit, *dictum, forsitan enim merito invideri debeat ei, qui beneficia fortunae habeat, quae plerumque temere et sine iudicio ullo superveniat, at amicitiam Maecenatis consequi nisi virtute in se provocatam non potuit, porro autem quod virtute ac vero iudicio quis adsequitur, invideri ei non debet, cum magno labore hoc ei constet.* — Similiter vox opposita structurae deesse videtur in sat. II 3, 246[2]):

Sani ut creta an carbone notandi?

---

1) Iwan v. Mueller, Handbuch II 3, p. 45.

2) Hunc contextum a Kiesslingio recedentem praetuli L. Muelleri argumentis convictus.

Kruegerus explicat: 'Aus *sani ut* das Gegenteil (*ut insani*) zu *carbone* zu ergänzen ... *creta* ... *carbone* mit Beziehung auf den Ausdruck glückliche Tage seien weiss, unglückliche schwarz zu bezeichnen; vgl. Carm. I 36, 10. Hier auf das Moralische übertragen'. — Haec interpretatio adeo probabilis est, ut longum sit plura addere. Porro adiectiva notio subintellegenda est in c. II 4, 15—16:

Regium certe genus et Penatis
Maeret iniquos.

Regium genus a verbo *maeret* pendere neque *est* supplendum esse Orell.-H. monuit, quocum Dillenburgerus, Ritterus, Rosenbergius, Kiesslingius consentiunt; alteram interpretationem de vocis *est* ellipsi cogitantes Muellerus, Nauckius, Roehlius, alii commendant; quarum mea quidem sententia haec reicienda, illa accipienda est. Etenim propter satis debilem atque usu tritissimam formam dicendi ab oratione poetica abhorrere opinor explicationem a Muellero aliisque commendatam. Itaque adiectivum aliquod (cum Kiesslingio *inane* vel cum Rosenbergio *neglectum*) per zeugma subaudientes, ut *penates iniquos,* ita *regium genus* (*inane*) ad verbum *maeret* referemus.

Reliquum est ut de duobus enuntiatis dicatur, in quibus sententia non constare et fortasse per zeugma explenda videtur esse, nimirum in c. II 11, 1—4:

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere

qui versus cum Dillenburgero et Roehlio recte explicari videntur ita, ut sub *Hadria* delitescere notionem quandam ad *Cantaber* quadrantem opinemur; velut *mari Tusco, Iberico* (seu generaliter *mari, spatio ingenti* [*divisus*]). Ac ne Nauckius quidem ab hac interpretatione dissidet ita disserens: '*divisus* (*Hadria*) geht bloss auf den Scythen im Osten wie *bellicosus* allein auf den westlichen Cantaber; aber es versteht sich von selbst, dass auch der Scythe kriegerisch, und auch der Cantaber durch Meere getrennt, daher nicht furchtbar ist'. — Nonne haec verba ad zeugmatis naturam ac rationem spectant, quamquam nomen figurae non appellatur? — Deinde tractandum est initium libri de arte poet. v. 1—3:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit et varias inducere plumas
Undique collatis membris

Cum Orellio, Muellero, Schuetzio, Kiesslingio, Kruegero, aliis verba *collatis membris* non dativum casum, sed ablativum absolutum qui dicitur esse putabimus referendum ad verba sequentia; *dum membra undique conferuntur* haec verba *undique collatis membris* a Rittero explicantur, qui eadem nullo modo ut dativi a verbo *inducere* pendere posse monuit propterea quod, si hoc fieret, ne superne quidem mulier formosa esset (cf. Art. poet. v. 4), sed caput haberet plumis turpe et ineptum. Itaque e vocibus *capiti* et *cervicem* generalem notionem (velut *corpori*, Krueg.) per zeugma eliciemus et cum verbo inducendi coniungemus.

§ 8. **De dubiis exemplis et eis, quae falso per zeugma explicata sunt.**

Nonnulla apud Horatium structurae exempla occurrunt, quae utrum ad zeugma referenda sint necne, in dubio relinquendum esse videbatur. Nimirum c. III 6, 6:

Hinc omne principium, huc refer exitum:

haud facile est ad discernendum, quemadmodum poeta structuram intellegi voluerit. Zeugma esse putant Schuetzius, Muellerus qui: 'meist', inquit, 'ergänzt man *est.* Doch erscheint so das folgende *huc refer exitum* sehr wenig concinn angereiht. Diese Auffassung ist sogar unmöglich, da notwendig zu *exitum* ergänzt werden muss *omnis*, was nur geht, wenn *omne princ.* Accusativ ist. Vielmehr liegt ein Zeugma vor, und man muss aus *refer* etwa *repete* entnehmen'. Contra Hofm.-Peerlk., Orell.-Hirschf., Dillenb., Nauck., Kiessl., alii, vocem *est* omissam esse censent, ut in dictis his proverbiisve: *ab Iove principium, lupus in fabula, hinc illae lacrimae.* — Equidem hanc quaestionem diiudicare non audeo, quippe quae eiusmodi sit, ut suo quisque arbitrio utatur oporteat. Argumentis quidem, opinor, diiudicari non potest; Muellerus enim quamquam errat contendens e nominativo *omne principium* accusativum suppleri non posse — cur non per syllepsin? — tamen non infaceta videtur dixisse. Sed opposuerit quis eum nimis sagacis critici partes egisse, itaque

alteram interpretationem simpliciorem et probabiliorem praeferendam esse; quod utrumque refelli nequit.

Haud minus ambigitur inter viros doctos de tribus enuntiatis, quae ab aliis ad zeugma, ab aliis ad figuram ἓν διὰ δυοῖν referuntur, ut c. II 16, 33—34:

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae

ubi Orellius et Hirschfelderus annotant: '*Te circumbalant greges ovium*' id quod assumendum ex sqq. Nolim enim explicare 'greges Sicularum vaccarum.' Kiesslingius quoque de ovibus cogitat et aeque ac Kirchnerus (cf. adn. ad sat. I 3, 9—11) hunc locum ad zeugma refert. Contra L. Muellerus, Obbarius, Roehlius, alii figuram ἓν διὰ δυοῖν adhibitam esse opinantur. Utraque interpretatio defendi potest. Etenim si per figuram ἓν διὰ δυοῖν locum explicamus, simplicior ac magis perspicua structura est: altera autem explanatio, qua per zeugma elicitur *circumbalant* ad *greges* (*ovium*) quadrans, melius accommodata est universae horum versuum sententiae, quibus Grosphi divitiae enumerantur: centum greges (ovium et) vaccarum, quadrigae, vestis habitus sumptuosissimus. In dubio igitur relinquentes, utra interpretatio praeferenda sit, iam nos convertamus ad epl. I 6, 58—59:

. . . *servos*
Differtum transire forum populumque iubebat.

Plerique interpretes reiecta Bentleii coniectura (scil. *campum* pro *populum*) per zeugma ex *differtum* sumunt *confertum, frequentem* ad *populum,* velut Schmidius, Obbarius, Kellerus, Schuetzius. A quibus dissidentes Orellius, Kruegerus non inepte de figura ἓν διὰ δυοῖν cogitant; similiter in epl. II 1, 153:

Quin etiam lex poenaque lata

structura ab aliis (Orell., Kiessl.) per zeugma explicatur et suppletur *illata, irrogata* ad *poena,* ab aliis (Keller., Krueg.) refertur ad figuram ἓν διὰ δυοῖν quam vocant: Strafgesetz. — In utroque hoc exemplo tractando argumentis caremus ad alteram interpretationem stabiliendam alteramve removendam satis valentibus. Etenim, si de figura ἓν διὰ δυοῖν cogitamus, structura facilius perspicitur: contra zeugma fortasse praeferendum videtur propterea, quod, etiamsi haec enuntiata ad figuram illam ἓν διὰ

δυοῖν referuntur, tamen ne tunc quidem tolli aut removeri putanda est discrepantia nominum et verborum (*differtum — populum; poena — lata*). Quae cum ita sint, suo quisque arbitrio utens hos versus interpretetur oportet.

Quae adhuc tractata sunt exempla, ea per zeugma explanari potuisse vidimus. Sed identidem interpretes illa figura abusi sunt zeugmatis definitionem aut Romanorum genus dicendi parum respicientes. Cuius rei luculentissimum exemplum est c. III 11, 30—32:

Inpiae (nam quid potuere maius?)
Inpiae sponsos potuere duro
Perdere ferro

ubi L. Muellerus: 'In v. 31', inquit, 'steht *potuere* mit leichtem Zeugma für *sustinuere*'. Sed haec explicatio prorsus contradicit zeugmatis naturae ac rationi, cum idem verbum quamvis mutata significatione bis ponatur nihilque sit supplendum. Idem genus elocutionis etiam alibi apud Horatium occurrit, ut sat. I 4, 140—143:

. . . cui si concedere noles
Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi (nam multo plures sumus) ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

Hic quoque vox concedendi mutata vi in eodem enuntiato bis ponitur; cuiusmodi autem structuras ad zeugma referri non posse in propatulo est. Ac profecto non referuntur, ne a Muellero quidem nisi loco citato c. III 11, 31, ubi nescio quo miro errore implicitus est. Satis igitur de hac re; iam agamus de aliis quibusdam erroribus, in quos saepius Horatii interpretes inciderunt, quod minorem quam oportebat Romani sermonis rationem habuerunt ideoque enuntiata quaedam falso per zeugma explicaverunt, in quibus nihil supplendum, sed verbum translationis tropo adhibito positum esse ἀπὸ κοινοῦ putandum est, ut c. III 3, 53—56:

visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Kiesslingius vocem *debacchentur* ad *rores* non quadrare propterea que hunc locum per zeugma explanandum esse contendit. Sed fallit eum opinio; voce enim *debacchandi* quamquam notiones

ignes et *rores* non facile simul concluduntur, concludi possunt per translationis tropum. *Debacchandi* enim notioni utrique nomini proprie non convenienti tropo illo adhibito generalis quaedam vis saeviendi vel furendi attribuitur. Idem fere dicendum est de c. III 10, 5–7:

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis . . .

et de epl. II 1, 202:

Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum

nam mugiendi verbum proprie bobus conveniens metaphorice alium strepitum significat idque ita, ut satis dispares sonitus concludantur eodem verbo; illic ianuae crepitus, hic maris murmur cum sono, quem arborum rami venti flatu concurrentes edere solent, comparatur, id quod haud ita facile fieri potest. Cur igitur Kiesslingius his locis de zeugmate non dicit, ut in simillima structura c. III 3, 53—56? — Porro idem auctor in versibus c. II 13, 9—11:

. . . *ille venena Colcha*
Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit . . .

explicandis erravit; namque cum Orellio zeugma ad interpretationem adhibens ex *tractavit* elicit *patravit*, scil. *nefas*. Rectius Nauckius et Muellerus negaverunt zeugma esse: nam tractandi vox generali sensu usurpatur, ut *artem tractare*, Ter.; *orationem tractare*, Cic. Nihil igitur abhorret ab usu cotidiano, si a verbo *tractavit* et *nefas* et *venena* pendere putantur, praeterquam quod cum *venena* proprie, cum notione *nefas* metaphorice coniungitur verbum. Neque igitur hoc loco Kiesslingii sententiam probabimus, neque in c. III 29, 43–45:

. . . *cras vel atro*
Nube polum pater occupato
Vel sole puro . . .

ubi Kiesslingius cum Orellio-H. annotat per zeugma ex *occupato* eliciendum esse *illustrato*, id quod negat L. Muellerus contendens vocem illustrandi ex *occupato* sumi non posse, sed notionis occupandi principalem significationem conservatam esse in utroque membro; quod ut confirmet his nititur exemplis: Enn. Fab. 284 V.[2] *Iuppiter tuque adeo, summe Sol, qui res omnes spicis Quique*

maria, terram, caelum contines tuo lumine; Rut. Nam. I 57 *qui continet omnia Phoebus.* — His exemplis ostenditur Romanos nonnunquam usos esse hoc genere dicendi: *sol continet terram, caelum;* neque igitur dubium esse putaverim, quin ita potuerint loqui: *sol occupat caelum.* De zeugmate igitur h. l. non est cogitandum, sed differre videtur Latina lingua a nostra Germanorum in eo, quod apud Romanos occupandi notio cum vocibus *nube* et *sole* sine supplemento simul coniungi poterat, apud nos non potest. — Similiter interpretes, ubi neutiquam opus erat, zeugmate abusi sunt in c. III 17, 9—12:

cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet . . .

quem locum Orellius et Baiterus falso in zeugmatibus numeraverunt; nihil enim miri elocutioni inest, praeterquam quod vox *nemus* per translationis tropum adhibita 'nemoris solum' significat. Recte igitur Hirschfelderus illam annotationem delevit, qua hi versus zeugmatis figurae ascripti erant. In eiusdem Orellii editione ab Hirschfeldero curata observatum est non defuisse, qui in versibus c. III 11, 13—14:

Tu potes tigris comitesque silvas
Ducere . . .

interpretandis zeugmate uterentur supplentes *domare* scil. tigres. Supervacaneum hoc supplementum ut probemus tantum abest, ut contra quin spernatur fieri non posse censeamus, quippe quo sententia magnopere extenuetur. Multo enim magis poetae sublimitati convenit, si verba *comites ducere* ἀπὸ κοινοῦ simul ad *tigris* et *silvas* referuntur: quod si fit, supplementum illud *domare* una comprehenditur cum *comites ducere.* — Aeque inutiliter vox quaedam addita est libri de arte poetica qui dicitur versui 443:

Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem

— etenim Doeringius verbum *insumebat* proximo tantum nomini *operam* adaptatum esse, ad vocem *verbum* per zeugma supplendum esse *addebat, adiciebat* vel sim. ratus est. Sed notio *insumendi* tam late patet, ut facile etiam cum *verbum* coniungi possit. Cf. Stat. Theb. 12, 643: *dignas insumite mentes coeptibus;* Tac. Ann. XIV 44: *Creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse?* — Neque igitur cum Doeringio facientes hunc versum

per zeugma explicabimus, sed potius de figura ἀπὸ κοινοῦ cogitabimus. Tum fortasse hic inserere licet sat. I 4, 31—32:

. . . nequid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem:

ubi Chambaluius [1]), fortasse Kiesslingii annotatione (*'aut ut ampliet* steht dem *metuens* parallel = *avidus'*) adductus, ex *metuens* elici voluit *optans* scil. *ampliet ut rem.* Sed simplicius rectiusque Muellerus, Orellius, Mewesius vocem *ut* pro *ne non* positam a verbo *metuens* pendere censuerunt, ita ut supervacuum sit illud additamentum *optans,* quippe quod idem valeat fere, quod *metuens ne non.* Denique hoc loco unum exemplum tractandum est, quod interpretes universam sententiam falso explicantes ad zeugma spectare putabant, inviti fere, ut ita dicam, quoniam nomine figurae non utentes interpretationem proponebant quae nisi per zeugma percipi non poterat, nimirum sat. I 1, 76—78:

An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat?

Fritzschius enim et Muellerus a ceteris interpretibus in eo dissident, quod ita interpungunt, ut *vigilare* ad *noctesque diesque* referendum sit, quod nisi per zeugma fieri non potest, quoniam nemo est, quin vigilet dies. Fritzschius etiam aperte ac plane edicit: *noctesque diesque*] Dies — Nacht und Tag flieht ihn der Schlaf — gehört zu *vigilare,* ... nicht das Wachen überhaupt ist das Qualvolle, sondern das ängstliche Wachen auch zu der Zeit, wo Thiere und Menschen feste schlafen. — Aliena haec miraque sententia satis breviter et commode verbis 'ein *vigilare dies* wäre sehr überflüssig gesagt' a Kiesslingio perstringitur; quem ceterosque viros doctos secuti voces *noctesque diesque* cum eis, quae sequuntur *formidare malos fures* coniungemus spernentes id, quod Fritzschius proposuit.

His absolutis reliquum est, ut structurae quaedam exempla tractentur, in quibus adiectivam notionem suppleri interpretes voluerunt, quamquam opus non erat. Etenim si Kiesslingius in versu c. III 12, 6:

. . . neque pugno neque segni pede victus

1) Cf. Krafft und Rankes Präparationen, Heft 66 Vorbemerkg. 10).

voce *segni* non apte pugni inertiam vituperari ratus per zeugma notionem *levi* ex *segni* sumendam esse contendit, opinio eum fefellit. Saepius enim apud Horatium ipsum (cf. sat. II 3, 102. 236; epl. II 3, 180) illa voce generaliter significatur inertia et languor. Itaque cum Muellero *segni* *ἀπὸ κοινοῦ* et ad *pugno* et ad *pede* referemus. Probabilior saltem haec explicatio videtur esse quam quae a Nauckio Roehlioque proposita est, quorum uterque *pugno* esse ablativum limitationis qui dicitur, *segni pede* ablativum causae. Simplicius enim faciliusque cogitando expletur sententia Muelleri ratione adhibita quam percipitur illa structura non concinna. Itaque non tam horum Kiesslingiive sententia praeferenda est quam qua locus ad figuram *ἀπὸ κοινοῦ* refertur interpretatio. Idem Kiesslingius in epl. I 18, 43—45:

> . . . *fraternis cessisse putatur*
> *Moribus Amphion: tu cede potentis amici*
> *Lenibus imperiis* . . .

sententiam explendam esse censuit adiectivo *severis* (scil. moribus) ex *lenibus* sumpto. Sed agitur hoc loco de Antiopa fabula Pacuvii, quam notissimam fuisse Hirschfelderus et L. Muellerus annotant. Quoniam igitur quales Zethi mores fuerint nemo ignorabat, supplemento illo *severis* opus non est. Accedit quod in versu antecedente (. . . *donec suspecta severo conticuit lyra* . . .) Horatius severitatem Zethi in memoriam revocavit, ita ut sine Kiesslingii additamento sententiam constare putandum sit. — Ut in hoc enuntiato, ita nihil addendum esse putabimus in carm. saec. v. 29—30:

> *Fertilis frugum pecorisque Tellus*
> *Spicea donet Cererem corona*

ubi adiectivum *fertilis* per zeugma etiam ad *pecoris* referendum eliciendumque esse *fecunda* Orellius et Hirschfelderus censent. Sed L. Muellerus Romanorum genus dicendi illustrans locum adhibet hunc (Liv. V 34, 2): *quod in imperio eius Gallia* . . . *frugum hominumque fertilis fuit.* — Itaque hoc genus elocutionis ne a soluta quidem oratione abhorrere respicientes explicationem supra memoratam non accipiemus, sed *fertilis ἀπὸ κοινοῦ* positum esse putabimus. — Denique non praetereunda sunt verba sat. I 4, 13:

> . . . *nam ut multum, nil moror.*

K r u e g e r u s enim monet: '*nil moror*] als Objekt ein Akkusativbegriff (vgl. Epl. I 15, 16; II 1, 264) aus dem vorhergegangenen *ut multum* zu ergänzen'. — Alii alias sententias protulerunt, ut L. M u e l l e r u s: 'denn was die Menge betrifft, erhebe ich keinen Einspruch', id quod reiecit H ö g e r u s [1]), qui sententiam adumbravit hisce: 'denn dass er viel geschrieben, darauf lege ich keinen Wert'. Das k ö n n t e aber nicht *ut*, sondern m ü s s t e *quod* heissen'. — S c h u e t z i u s confert locum I 3, 120 *nam ut caedas, non vereor,* ubi aeque atque in versu nunc tractando structuram grammaticorum normis non adaptatam esse opinatur. — Iam his verbis satis apparere puto ab omnibus his viris huius versus difficultates submotas non esse, ita ut fere inexplicabilem eum putemus oporteat. Sed in hanc quaestionem inquirere meum non est: itaque redeamus ad K r u e g e r i sententiam percensendam, quae sola ad propositum spectat. Hanc non accipiendam esse censuerim. Etenim quamquam in sermone Latino a *nil moror* accusativus casus pendere solet, apud Horatium bis pendere K r u e g e r u s recte monet, tamen apud Plautum, Terentium, alios non desunt loci, ubi solae notiones *nil moror* positae sint sine accusativo quodam. Itaque si negamus fieri non posse, quin *nil morari* cum accusativo coniunctum adhibeatur, hoc quoque loco supplemento opus esse negabimus.

§ 9. **Conclusio.**

Exemplis his variis perlustratis restat, ut paucis comprehendatur, quomodo Horatius zeugmatis figura usus sit. Ac primum quidem cognosci potest poetam ea zeugmata, in quibus commune membrum verbum erat, non eodem modo adhibuisse atque ea, in quibus alia quaedam enuntiati pars erat subaudienda. Nimirum in carminibus iambisque huius generis exempla rarius occurrunt (c. II 4, 15—16; 11, 1—4). Contra in sermonibus, qui pedestri magis quam poetae orationi adaptati erant, saepius reperiuntur. Fortasse igitur concludi licet id genus zeugmatum de quo nunc dicimus paulo durius et inelegantius ab Horatii aequalibus putatum esse. Sed hoc minoris momenti est. Multo magis id mirandum, quod de plurimis, quae fuerunt in quaestione, structuris

---

1) Blätter f. d. Gymn.-Schulw. 1899 p. 716.

inter viros doctos incredibilem fere in modum ambigitur; namque alii eosdem locos facile per zeugma explicari posse censent, quos alii inexplicabiles desperatissimosque arbitrantur, velut Schuetzius ad c. II 11, 1—4; Muellerus ad sat. I 3, 9—11; cet. Mira haec dissensio coorta est, quod permulti interpretes parum respiciebant, ut ab omnibus fere Romanorum auctoribus, ita apud Horatium ornamenta orationis rhetorica saepissime adhibita esse ideoque multo plura zeugmata[1]) apud eum occurrere, quam in nostro Germanorum[2]) sermone usurpari solent. Quae cum ita sint, identidem interpretum dissensio recte ita diiudicanda esse videbatur, ut zeugmatis figura ad explicationem adhiberetur neglectis eis, quae a Nauckio aliisque opposita sunt. Hic enim auctor ullo loco Horatiano per zeugma supplendum esse quicquam omnino negans[3]) atque etiam zeugmatis figuram a poetae sublimitate dicendi abhorrere contendens[4]) quin modum sit egressus, dubium non est. Etenim vidimus zeugma commendatum esse a veteribus auctoribus[5]), in ornamentis dignitatibusque orationis numerari a viris doctis[6]) huius temporis; deinde nonnulli loci alio modo explicari non possunt, Nauckius ipse ut non vocem ita rationem zeugmatis interdum adhibuit (c. II 11, 1—4); denique ea, quae Horatius adhibuit zeugmata, propter duritiam, ut ita dicam, vituperari non licet. Semper enim intra fines perspicuitatis versantur et aliena sunt ab eiusmodi structuris, quas propter nimiam brevitatem Quintilianus (4, 2, 44) perstrinxit hisce: *Non minus autem,* inquit, *cavenda erit, quae nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas, satiusque est aliquid narrationi superesse quam deesse. Nam supervacua cum taedio leguntur, necessaria cum periculo subtrahuntur.*

1) Bernhardy, Griech. Synt. p. 458 adn. 99: ... 'Hingegen kann kein Zweifel sein, dass die römische Litteratur vermöge ihres rhetorischen Verfahrens ein reichhaltigeres Zeugma aufzuweisen habe'.

2) Cf. Orell. ad Hor. c. II 1, 21—24: ... 'Huius autem figurae (scil. zeugmatis) Graecis, Romanis, Italis magis quam septentrionalibus populis usitatae' ...

3) Cf. ad c. I 4, 16; c. III 10, 7.

4) Cf. ad c. II 1, 23.

5) Cf. p. 20 Auct. ad Her.

6) Cf. p. 20 F. Handius et E. Muellerus.

Index locorum tractatorum.

Vita.

Natus sum Gualterus Sievers in vico Sargstedt iuxta Halverstadium sito die VIII. mensis Ianuarii anni 1884 patre Guilelmo, matre Sophia e gente Sievers; pater acerbissimo fato mihi admodum puero ereptus est, matrem veneror superstitem. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis domi imbutus gymnasium adii Halverstadiense, cuius discipulus fui per septem annos. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1902 ad almam matrem Friburgensem, quam dicunt Alberto-Ludovicianam, me converti studiis philologicis historicisque operam navaturus. Tria ibi semestria commoratus Lipsiam transmigravi. Vere anni 1904 Ienam me contuli, ubi etiam nunc sum civis academicus. Docuerunt me et scholis et exercitationibus viri docti Friburgi: Dyroff, Fabricius, Finke, Lommatzsch, Rickert, v. Simson, Thurneysen; Lipsiae: Gardthausen, Immisch, Kaerst, Martini, Seeliger, Wachsmuth; Ienae: Cartellieri, Delbrueck, Dinger, Eucken, Gelzer, Goetz, Graef, Hirzel, Keutgen, Liebenam, Liebmann, Rein, Schloesser, Schrader, St. Stoy, Wilhelm. Quibus viris humanissimis omnibus gratias ago quam maximas, praecipue autem Georgio Goetz, qui studiis meis benignissime favit.



